



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. XLI. An prudentia reperiatur in probabilibus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)



## QUÆSTIO QUADRAGESIMA- PRIMA.

An prudentia reperiat in probabilibus?

Opinio Celladei declaratur.

**C**ELLADEUS lib. 3. quest. 3. fusè agit de prudentia, ut ostendat illam in probabilibus reperiri. Porro ita rem definit, ut omnem assensum probabilem verum ad prudentiam pertinere contendat, sed omnem falsum à prudentia repellat. Hic enim ratione magnum se vulnus benignæ sententiæ intulisse autumat, quia putat se sufficienter probare, quod nostræ sententiæ Auctores non possint amplius ad consuetum Asylum prudentiæ recurrere, & dicere, omnem opinionem probabilem esse iudicium prudens, & consequenter ad conscientiam regulandam sufficere. Præterea ex hoc ipso, quod nullus assensus falsus ad prudentiam pertineat, infert, nullum actum ab errore, etiam invincibili, ortum esse bonum, quia repugnat actum esse bonum, qui à prudentia non regulatur. Verùm hunc Celladei errorem quest. 3. fusè rejecimus. Quare in hac quæstione de illa materia amplius non agam, sed ad prudentiam, prudentiæque proprietates me restringam, ut sic errores Celladei hac de re redarguam, atque ipsa fundamenta, quibus grande illud paradoxum fulcitur, convellam. Sit ergò.

### ASSERTIO PRIMÆ.

*Si præse ac in strictâ vocum significatione ab Aristotele usurpata loquamur, nullus assensus probabilis, etsi verus, est proprius actus prudentiæ, seu actus à prudentia strictè dicta elicitus.*

Nullus assensus probabilis est actus à prudentia propriè dicta elicitus.

**P**ROBATUR. Aristoteles 6. Ethic. ex professo agit de virtutibus intellectus, omnesque ad quinque classes reducit, nempe ad artem, scientiam, prudentiam, sapientiam, & intellectum. Virtutem porro intellectus tam speculativam quam practici definit esse habitum, quo intellectus verum enunciat. Qua locutione absque dubio intelligit habitum, qui nunquam fallit, sed necessariò, & semper verum dicit, quia cap. 3. expressè excludit opinionem à ratione virtutis intellectualis; quia, inquit, existimatione & opinione fieri potest, ut mentiatur, id est, fallamur. Unde sic arguo. Omnis prudentia strictè dicta est virtus intellectualis. Sed nulla opinio est virtus intellectualis. Ergò nulla opinio est prudentia. Ergò nullus assensus probabilis, etsi verus, est actus prudentiæ, seu actus à prudentia strictè dicta elicitus, quia fieri potest, ut per quemvis actum opinativum decipiamur, quantum est ex vi illius, quod repugnat prudentiæ, prout illa sumitur ab Aristotele in propria ac stricta significatione.

Celladeus Aristoteli contradicit.

3. Fallitur ergò Celladeus, & Aristoteli, quem tamen sequi prætendit, apertè adversatur, dum §. 5. contendit, prudentiam propriè dictam re-

periri in propositionibus merè probabilibus, quando sunt veræ, non autem quando sunt falsæ. Quid enim? nõne idem dici potest eodem jure de opinione? At Aristoteles expressè asserit, opinionem non esse virtutem intellectus, & consequenter non esse prudentiam, quia per opinionem falli possumus, etsi hic & nunc per illam dicamus verum. Ergò idem sentio de omni opinione probabili, quia omnis opinio probabilis nititur motivo fallibili.

4. Præterea sermo potissimè procedit de prudentia habituali. Ergò ex mente Aristotelis, nullus habitus prudentiæ fallere nos potest. At omnis habitus ab actibus probabilibus, etiam veris, acquisitus fallere potest, quia sæpè reperit suum motivum in falsis, non minùs quam in veris. Sic iudex, qui sine deceptione viginti vicibus reos judicavit, acquirit habitum, quo juxta legem præscripta judicat. Hic habitus non minùs concurrens ad sequens iudicium, quando testes falsa deponunt, quàm si vera deposuissent, quia æquè in utroque casu invenit totum suum objectum, seu motivum formale, ut patet. Ergò nullus habitus actibus probabilibus acquisitus est prudentia.

5. Rursus prudentiæ de rebus contingentibus, ex mente Celladei, non distinguitur à probabilitate circa easdem. Sed probabilitas deficere potest, & aliquando deficit, alioquin non esset probabilitas, sed infallibilis certitudo. Ergò in sententia ipsius prudentia à veritate deficit, quia eadem prædicata rebus indistinctis necessariò conveniunt. At consequens est absurdum, & contra omnes, illudque Celladeus ipse absurdum esse agnoscit. Ergò nulla probabilitas est prudentia strictè dicta.

6. Dices. Non repugnat quod probabilitas fallat aliquando, prudentia nunquam, quia prudentia perficit partem defectibilem intellectus, ut minus deficiat. Ergò quando intellectus deficit, non deficit per virtutem, sed per seipsum deficit. Sic contingit, habentem habitum intantum temperantiæ aliquando graviter deficere contra temperantiam. Verùm defectus ille non à temperantia, sed aliunde procedit. Idem valet de intellectu, qui quoties rectè & verè dicitur, per prudentiam dicitur, quoties falsum dicit, non per prudentiam, sed aliunde. Similiter fides divina est virtus intellectualis, & infallibilis, quia nititur motivo infallibili. Nihilominus, quia revelatio Dei, & sensus ac declaratio Ecclesiæ potest indobitè applicari, contingere potest, ut rusticus credat personas divinas esse quatuor. In hoc casu non exercet actum fidei, nec credit per fidem, quæ est virtus intellectualis, sed per errorem. Ille quidem putat, se elicere actum fidei, sed errat. Quod ergò contingit in fide propter applicationem, hoc contingit in prudentia propter objectum. Fallitur prudens, sed non per prudentiam. Putat se prudenter operari, sed fallitur.



fallitur, quia non habet veram, sed apparentem prudentiam. Ita Celladeus §. 5.

Celladei contradictio.

Respondeo. Repugnat probabilitatem aliquando fallere, & prudentiam nunquam, si prudentia à probabilitate non distinguitur, ut ex mente Celladei in multis non distinguitur. Nec obstat, quòd prudentia perficiat intellectum, ut minus deficiat; hoc enim etiam convenit probabilitati, quæ efficit, ut intellectus temerè judicaret, quàm si absque probabilitate temerè judicaret. Ergò si, hoc non obstante, probabilitas fallat aliquando, neque id obstat, quo minus prudentia aliquando fallat, si concedatur esse habitus, quem Celladeus fingit. Jam quòd defectus non tribuatur virtuti, sed intellectui, simpliciter loquendo verum est; sed quòd defectus non tribuatur prudentiæ ac virtuti, si virtus prudentiæ non distinguitur à probabilitate ut vult Celladeus, est falsissimum, quia defectus tribuitur probabilitati, ejusque defectibilitati, ut patet. In his ergò Celladeus contradictoria docuit, sibi que contradixit.

Exempla Celladei non faciunt ad rem.

Alios error Celladei.

7. Porro exempla non sunt ad rem. Quando habitualiter temperans excedit per actum intemperantiæ, excessus ille tribui non potest virtuti, quæ directè stimulat ad oppositum, sed alteri causæ non solum distinctæ, sed etiam quodammodo contrariæ. At omnia contrario modo se habent in casu nostro, quia intellectus ex propria inclinatione habitû fallitur. Ergò error tribuitur ipsi habitui, & consequenter prudentiæ Celladeanæ, quæ à tali habitu non distinguitur. Falsum etiam est, quòd dicit, intellectum toties per prudentiam enunciare, quoties verum dicit, quia multa judicia temerè concepta, & prorsus improbabilia, sunt vera, quæ tamen ad prudentiam non pertinent; alioquin imprudentia ad prudentiam, ut proprius actus pertineret. Præterea hoc admissio, omnis opinio vera esset prudentia; quod aperte repugnat Aristoteli, qui omnem opinionem à virtute intellectuali removet, ut ostensum est.

Habitus a-pinativus à veris adibus a-quis propriis concurrere potest ad actus falsos.

8. Similiter exemplum fidei existimatæ noti est ad rem, quia nec habitus fidei, nec lumen gratiæ ad actum falsum concurrunt. At aliter res habet in casu nostro, ut patet. Præterea in casu nostro nullus est defectus ex parte applicationis, sed solum ex parte principii, in quo prudentia, à Celladeo conficta, residere dicitur. Exemplo sit Judex reum damnans, qui sic discurrit. Quod à tribus testibus, contra quos nulla apparet exceptio hic & nunc juratur tanquam à se visum, est verum & pro vero admitti debet. Sed hic & nunc crimen Petri juratur visum à tribus testibus, contra quos nulla apparet exceptio. Ergò crimen Petri est verum, & pro vero haberi debet. Hic nullus est defectus ex parte minoris applicantis, utpote, quæ est evidenter vera, sed tota defectibilitas oritur à majori, quæ credibilis est, sed contingenter vera. Ponamus jam Judicem per viginti vices non fuisse deceptum, sed ex frequentatis actibus veris habitum acquisivisse. Hic habitus per Celladeum est prudentia. Atqui hic habitus directè faciliat, & concurrat ad assentiendum pro alia opportunitate, quando iidem testes in simili causa simile testimonium ferunt. In hoc enim casu major & conclusio deficiunt ob solum defectum majoris, quæ tamen hic & nunc directè procedit ab habitu acquilito, qui supponitur indentificari cum prudentia. Et sanè habitus ille eodem prorsus modo reperit suum motivum formale applicatum in hoc casu, sicut

R. P. A. Terilli, Regula Morum PARS II.

in prioribus; quando judex non errabat.

9. Atque hinc iterum sic arguo. Celladeus ex suis principiis & assertis tenetur admittere, habitum aliquem esse propriè & strictè prudentiam, quæ aliquando fallit, & directè ex vi sua disponit, & inclinat ad actum falsum, illumque tanquam actum sub propria sua vi contentum producit. Quod falsum est, & ab ipso tenetur aburdisimum. Rursus tenetur dicere, duos actus intellectus prorsus similes, in simillimis circumstantiis ab eisdem principiis eodem modo elicitos, atque in eodem motivo formali fundatos, solum numero distinctos, ita comparari ad invicem, ut unus ad prudentiam, alius ad imprudentiam spectet. At hoc & per se absolum est, & ex eo cognoscitur esse absurdum, quòd per hunc dicendi modum actus prudentiæ confunditur cum actu imprudentiæ, virtusque & vitium ejusdem potentie sub una eademque specie comprehendantur, nec magis differant inter se, quàm ovum ab ovo simillimo.

Celladeus admittit virtutem & vitium ejusdem potentie non magis differre quàm ovum ab ovo.

ASSERTIO SECUNDA.

Omne judicium certò probabile, quod enunciatur de honesto & inhonesto, semper annexum habere potest judicium prudens, quod est tale, & à prudentia strictè dicta elicitur, juxta mentem Aristotelis in strictissimo verborum sensu.

10. PROBATUR. In primis ex quest. 3. constat, operationem, ab errore invincibiliter directam, esse bonam. Hinc sequitur, in actionibus humanis honestatem formalem sæpè separari ab honestate materiali, quia actus, quo objectum eligitur, bonus est & honestus, licet objectum in quod actus ille fertur, secundum se sit materialiter malum, legique repugnet. Hinc sic arguo. Impossibile est quod detur ullus actus honestus in voluntate, qui non reguletur, aut saltem qui regulari non possit à prudentia strictè dicta, quippe quæ strictè sumpta est recta ratio agibilium, sicut ars est recta ratio factibilium. Idem expressè traditur à S. Augustino lib. de utilit. credendi cap. 12. ubi hæc habet. Omne factum, si rectè factum non est, peccatum est. Nec rectè factum esse ullo modo potest, quòd non à recta ratione proficiat. Porro recta ratio est ipsa virtus. Cui autem hominum virtus, nisi sapientis animo præsto est? solus igitur sapiens non peccat, &c. Hunc textum supra ponderavi quest. 3. num. 22. ex quo constat, nulum actum bonum elici, qui à recta ratione, à virtute intellectus, & à sapientia, vel prudentia strictè dicta juxta S. Augustinum non dirigatur, quod omninò coincidit cum eo, quod dixi quest. 13. de cons. prob. scilicet ultimum conscientie dictamen semper esse certum & evidens, quoties homo bene operatur. Ad præsentem autem assertionem sufficit, si tale judicium haberi possit. Atqui certo certius haberi potest, quia cum actus, qui elicitur in his circumstantiis, sit bonus, independenter ab eo, quod objectum materiale sit honestum; utique hoc certò & evidenter per prudentiam strictè dictam cognosci potest. Talis autem cognitio, utpote certa & evidens, atque operationis honestæ regulativa, ad prudentiam strictè dictam haud dubiè pertinet.

Omne judicium practice probabile annexum habere potest judicium à prudentia strictè dicta elicitum.

S. August.

11. Nec obstat, prudentiam strictè dictam infallibiliter ac necessariò verum enunciare, quia hoc locum habet etiam quando intellectus invincibiliter

Prudentia in quo determinatur ab arte.

C



vincibiliter errat circa rerum honestatem. Nam prudentia in hoc ab arte differt, quod ars opus ipsum externum, ejusque refectionem principaliter ac directe respiciat, ideoque repugnet, artem locum habere, ubi intellectus proponendo opus externum à vero discedit. At prudentia directe & per se enunciat de honestate operationis internæ, quæ fertur in opus externum, ideoque verum dicit, etiam quando intellectus invincibiliter errat circa opus externum, quia error ille non impedit honestatem electionis, à falsa illa cognitione directæ. Audiatur S. Thomas 2. 2. quest. 57. art. 5. ad 1. *Bonum artis, inquit, consideratur non in ipso artifice, sed magis in ipso artificio: cum ars sit ratio recta factibilium: factio enim in exteriorem materiam transiens non est perfectio facientis, sed facti, sicut motus est actus mobilis. Ars autem circa factibilia est, sed prudentia bonum attenditur in ipso agente, cujus perfectio est ipsum agere, est enim prudentia recta ratio agibilium.* Ecce bonum prudentiæ attenditur in ipso operante, cujus perfectio est ipsum agere, seu operari, ac velie hominis. Ergo prudentia est ratio enuncians de ipsa hominis operatione, seu electione ac volutione. Unde prudens est, qui enuntiando de illa non errat, sed certo verum dicit, quamvis contingat illum errare, prout enuntiat de objecto materiali, ad quod actio terminatur. Similia prorsus tradit Aristoteles 6. Ethic. cap. 5. ubi sic definit prudentiam strictè dictam. *Est habitus cum ratione vera conjunctus ad agendum idoneus, & in iis occupatus, quæ homini bona sunt & mala, seu, ut ut alii legunt, est habitus vera cum ratione actus circa ea, quæ bona & mala homini sunt, intelligitur autem homini, in quantum est homo, adeo ut prudentia sit habitus cum vera ratione versans circa ea, quæ sunt bona aut mala relatè ad ultimum finem hominis, quia ea sola sunt bona & mala homini, prout est homo, quippe quæ sola reddunt hominem simpliciter bonum vel malum, bene vel malè operantem, ut patet.*

Prudentia principaliter enunciat de operatione hominis.

12. Hinc ergo habemus, quod prudentia principaliter ac directe enunciat de honestate & inhonestate nostrarum operationum, quia illæ solæ formaliter & directe constituunt nos bene vel malè operantes. Ergo quoties operatio est honesta, toties datur locus prudentiæ, quamvis intellectus erret circa objectum materiale, quia talis error impertinenter se habet ad hoc, ut operatio sit vel non sit honesta, ut patet. Ergo non impedit, quominus intellectus eliciat dictamen prudentiæ simpliciter dictæ, utpote quæ prorsus necessaria est homini ad bene vivendum & operandum, ut ex professo probat S. Thomas 2. 2. quest. 57. art. 5.

In probabilibus certitudo prudentiæ sumitur à principiis reflexis.

13. Quod si quæras, unde oriatur hæc infallibilis certitudo prudentiæ, quando intellectus solùm probabiliter discurrit de objectis, in quæ ferimur? Respondeo, certitudinem hanc & evidentiam derivari à principiis synderesis reflexis certis ac evidentibus, ut constat ex dictis quest. superiore, atque ex quest. 13. aliisque locis de cons. prob. ubi explicavimus quæ & qualia sint. Quare sufficit, si hoc loco duobus exemplis, uno de mala, altero de bona operatione nos certificante, rem declarem. Judicet aliquis peccatum esse levare festucam. Hoc judicium falsum est, ut patet; tamen stante hoc judicio, intellectus format judicium reflexum certum & evidens, quo dicit, *levare festucam stante hoc judicio est peccatum.* Unde evidenter infert. *Ergo non debes levare festucam stante hoc judicio, alioquin peccabis.* Ecce malum

falsò affirmatum per judicium directum, evidenter & verè affirmatur per judicium reflexum. Similiter Judex deceptus, & falsò credens Petrum esse reum, certus est se honestè facere eum condemnando, format enim hunc discursum. *Judex licetè condemnat eum, quem ex legali & plena probatione criminis absolute existimat reum: sed ego sum judex, & ex legali & plena probatione credo Petrum esse reum.* Ergo licetè eum condemno. Hi discursus reflexi sunt certi & evidentes, sunt autem propriissimi actus prudentiæ, quæ, ut dictum est, est recta ac vera ratio agibilium. Similis discursus reflexus certus & evidens formari potest, quoties intellectus elicit judicium certo probabile de honestate vel inhonestate operis, ut constat ex quest. superiore, & ex locis citatis ex tract. de cons. prob. Ergo omne judicium certo probabile de honesto & inhonesto semper habere potest annexum judicium certum & evidens, à prudentia strictè dicta elicitum, quod erat probandum.

14. Hinc sequitur, prudentiam strictè dictam, quando versatur circa res incertas, in eo potissimè sitam esse, quòd enunciet de honestate & inhonestate formali operationis humanæ, circa quam ex certo ac evidenti lumine infallibiliter verum dicit. E contra non est prudentia strictè dicta in rebus incertis judicare de materiali honestate & inhonestate operis secundum se spectati, quia circa hoc errare possumus, & aliquando erramus, etiam quando honestè operamur, & certi sumus de formali operationis honestate, ut constat ex dictis. Cæterum in hoc ipso casu, quando formalis honestas operationis separatur ab honestate objecti materialis secundum se accepti (idem valet de inhonestate formali ac materiali honestate operationis) non deest omnis honestas ex parte objecti, tunc enim objectum illud, quod secundum se materialiter sumptum est malum & contra legem, si consideretur in ordine ad peculiare circumstantias, quibus subest hic & nunc, verè est licitum, quia prout illis afficitur, verè permittitur, aut etiam à Deo præcipitur per accidens, suamque à dicta Dei voluntate atque à circumstantiis illis peculiaribus honestatem accipit. Vide quest. 28. de cons. prob. num. 58.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

15. OBJICIES. Nulla ex quinque virtutibus intellectualibus errare potest, nequidem materialiter, aut invincibiliter; quia de ratione virtutis intellectualis est, ut non possit errare, ut vidimus ex Philosopho 6. Ethic. Ergo repugnat, prudentiam materialiter aut invincibiliter errare.

Confirmatur. Nullum opus est ex arte, in quo artifex materialiter & invincibiliter errat. Ergo nullum opus procedit à prudentia, in quo proponendo intellectus errat. Ergo quæ materialiter mala sunt, nec prudenter, nec ex prudentia fiunt. Ita Celladeus §. 2.

Respondeo concedendo totum, si loquamur de prudentia strictè dicta; actus enim à tali prudentia elicitus nunquam errat in nostra, Philosophi, ac S. Thomæ sententia, sed semper verum enunciat de objecto, in quod fertur. At in sententia Celladei oppositum sequitur, ut vidimus.

16. Ad confirmationem, concessio anteedente, negatur consequentia utraque. Disparitas est,

Prudentia propria nunquam errat materialiter, nec invincibiliter.

Disparitas est, quia...



est, quia bonum artis non consideratur in artifice, sed solum in artefacto. Hinc repugnat bonum artis haberi, si in ipso opere materiali erratur. Et sane error in artefacto non variatur, nec augetur, nec minuitur, quomodo cumque artifex erret, sive vincibiliter, sive invincibiliter, sive ex industria à regulis artis declinet, ut patet. At bonum prudentiæ attenditur in ipso operante, quia prudentia primariò enunciat de ipsa operatione hominis, quæ maximam varietatem subit, pro diversa dispositione intellectus rem proponentis. Si enim res proponatur ut mala, voluntas gravius peccat ponendo rem illam, quam si intellectus, errore deceptus, rem illam ut bonam proposuisset. Rursus voluntas peccat ponendo rem illam, si ex errore vincibili proponatur ut bona. At si invincibiliter credatur bona, voluntas à toto excusatur, & honestè operatur. Ratio est, quia objecta non immediatè efficiunt voluntatem, sed solum ut proponuntur voluntati. Ergo si invincibiliter proponantur ut bona, voluntas non fertur nisi in bonum, ideoque actus ille non solum non imputatur ad culpam, sed è contra laudem meretur, quia homo fecit quod potuit & scivit; quod laudabile est, quamvis propter insuperabilem difficultatem inveniendi veritatem à vero abereet. Itaque multa materialiter mala sæpè per accidens prudenter & à prudentia fiunt, quia prudentia secum patitur errorem circa objectum materiale, quamvis ars cum tali errore conjungi non possit. Cæterum actus erroneus nunquam elicitur à prudentia, sed solum dat occasionem, ut prudentia, novis principiis reflexis adjuta, consideret objectum, circa quod intellectus errabat, in ordine ad novas circumstantias, atque ita tandem certò enunciet, objectum illud in talibus circumstantiis esse permissum, præceptum, aut vitium.

17. Quæ cum certa sint omnibusque notissima, mirum est, Celladeum à paritate erroris in materia artis argumentum fecisse ad errorem in materia prudentiæ. cum certum sit errores istos diversissimè se habere in ordine ad finem artis ac prudentiæ. Error enim in artifice nulla ratione tollit aut imminuit malum quod ars intendit amoliri. At error invincibilis absolutè tollit omne malum, quod prudentia cavere intendit. Eadem autem ratio probat, errorem invincibilem non impedire bonum à prudentia intentum, quia talis error fundat actum bonum, & patitur secum principia reflexa, per quæ de honestate operationis certificamur.

ASSERTIO TERTIA.

Multa judicia falsa, imò omnia judicia certò practicè probabilia de rebus ad mores spectantibus, sunt propria materia prudentiæ, strictè accepta juxta mentem Philosophi & S. Thomæ.

18. PROBATUR primò. Illa judicia incerta sunt propria materia prudentiæ strictè sumpta, in quæ restitens intellectus, si principiis synderesis reflexis adjungatur, ex illorum qualitate certò cognita evidenter inferre potest, operationem talem esse licitam &c. Hujusmodi enim illatio certa & evidens est recta & vera ratio agibilium, ideoque propriissima ad prudentiam pertinet. Sed multa judicia falsa, & omnia judicia

R. P. A. Terilli, Regula Morum, PARS. II.

certò practicè probabilia talia sunt, ut constat non solum ex assert. 2. & questione superiore, sed etiam ex toto tract. de consc. prob. Ergo omnia ejusmodi judicia sunt propria materia prudentiæ strictè sumpta.

19. Probatur secundò. S. Thomas. 1. 2. quaest. 57. S. Thomas art. 5. ad 3. hæc habet. Verum intellectus practici aliter accipitur, quam verum intellectus speculativi, ut dicitur 6. Ethicorum; nam verum intellectus speculativi accipitur per conformitatem intellectus ad rem. Et quia intellectus non potest infallibiliter conformari in rebus contingentibus, sed solum in necessariis: id est nullus habitus speculativus contingentium est intellectualis virtus, sed solum est circa necessaria. Verum autem intellectus practici accipitur per conformitatem ad appetitum rectum, quæ quidem conformitas in necessariis locum non habet, quæ voluntate humana non sunt, sed solum in contingentibus, quæ possunt à nobis fieri, sive sint agibilia interiora, sive factibilia exteriora; & ideo circa sola contingentia ponitur virtus intellectus practici, circa factibilia quidem ars, circa agibilia verò prudentia. Hic S. Thomas primo aspectu suo contradicentia tradere videtur, scilicet, nullam de rebus contingentibus dari virtutem intellectualem speculativam, eò quòd intellectus se illis certò & infallibiliter conformare nequeat. Et tamen expressè ait, prudentiam (quæ est virtus intellectualis, & quidem, ut in eodem articulo latè probat, homini maximè necessaria) circa contingentia versari, & consequenter certò & infallibiliter in illa ferri. Verum ipsemet S. Doctor hæc facillè conciliat, quia verum prudentiæ non sumitur à conformitate intellectus cum re contingenti, de qua enunciat, sed solum à conformitate rei & operationis cum appetitu recto. Unde quoties objectum aliquod, aut judicium intellectus, vel operatio est conformis appetitui recto, toties locus datur prudentiæ, quæ verum suum habet, & de illo infallibiliter enunciare potest, quòd objectum sit licitum, quòd operatio sit honesta, quòdque judicium illud sit prudens, quamvis sit fallibile, & à propria prudentiæ virtute non eliciatur. Hæc S. Thomæ Doctrina verissima est, sed in omnibus Celladeo contrariatur, ut patet.

20. Doctrinam hæc sumpsit S. Thomas ex Aristotele 6. Ethicorum cap. 2. ubi ratio prudentiæ dicitur consentanea appetitui recto, seu ratio confessè se habens ad appetitum rectum, ut Celladeus ipse fatetur hinc §. 2. Ergo ex mente Aristotelis & S. Thomæ prudentia non enunciat de rebus contingentibus, quod ita vel non ita se habeant secundum se, sed solum quòd sint vel non sint conformia appetitui recto. Ubi hæc rectitudo reperitur, ibi reperitur objectum prudentiæ, sive res ipsa, de qua agitur, sit vel non sit secundum se, qualis ab intellectu proponitur. Hoc posito, sic arguo.

21. Multa judicia logicè falsa sunt conformia appetitui recto. Ergo sunt materia prudentiæ, seu continent veritatem, quam prudentia strictè dicta affirmat. Tenet consequentia. Probatur antecedens. Judicium, quo quis putat, hunc hominem esse suum patrem, eoique titulo obedientiam animo filiali esse illi præstandam; est conforme appetitui parentibus obtemperandi, quippe qui inclinat nos ad honorem & obedientiam illis præstandam, qui communi fama ita creduntur parentes, ut nulla de opposito ratio probabilis appareat. De hoc nemo dubitaverit, nisi qui certissima in dubium revocet. Quid enim certius, quam nos ab appetitu obediendi parentibus stimulari ad

S. Thomas Celladeo contrarius.

Verum quod prudentia affirmat, est conformitas objecti cum appetitu recto.

Aristoteles prius id ipsum docuit.

Judicium falsum, & operatio, quam proponit, sæpè sunt conformia appetitui recto.



obediendum parentibus sic existimatis? At appetitus obediendi parentibus rectus est, cum sit conformis legi naturali à Deo lata. Ergò iudicium, quo quis putat hunc hominem esse suum patrem, eoq̄ue titulo obedientiam animo filiali esse illi præstandam, est conforme appetitui recto. Ergò est materia, seu veritas objectiva, quam prudentia strictè sumpta respicit & affirmat. At hoc iudicium sæpè est falsum. Idem valet in plurimis aliis casibus, ut patet. Ergò multa iudicia falsa sunt propria materia prudentiæ strictè sumptæ. Idem valet de omni iudicio certò practicè probabili, cum eadem de omnibus eiusmodi iudiciis sit ratio.

22. Probatur tertio. Appetitus, quo finem intendimus, Deoque in omnibus, juxta ipsius voluntatem à nobis diligenter investigatam ac intellectam, obtemperare intendimus, est appetitus rectus antecedens, cum quo ex mente Aristotelis & S. Thomæ alia comparanda sunt, ut prudentia in illis suum objectum inveniat. Hoc posito sic. Appetitus iste postulat, hominem in rebus incertis facere, quod in se est, ut veritatem inveniat, & non operetur, nisi juxta eam rationabiliter ac diligenter inventam. Ergò omne iudicium certò probabile, utpote optimum, ad quod in rebus incertis peringere possumus, item omne iudicium invincibiliter erroneum, atque objecta per talia iudicia proposita verè sunt, & reflexè agnoscuntur esse conformia recto appetitui finis, quia non aliter satisfacere possumus isti appetitui, quam ponendo objecta per iudicia istiusmodi representata, cum ad meliora & certiora nequeamus pervenire. Et sanè omnia ista ex vi talis intentionis, seu appetitus imperari possunt, & frequenter debent, quamvis præter expectationem contingat iudicium imperatum esse falsum. Sic iudex, falsis testibus deceptus, non potest huic appetitui satisfacere, nisi ferat sententiam materialiter & invincibiliter erroneam, ut patet. Ergò omnia ista non solum non discordant, sed expressè concordant cum appetitu recto finis, à quo tota series actionum moralium suam directam originem & causalitatem desumit.

23. Probatur quarto. Nullum iudicium obscurum elici potest, nisi dependenter ab imperio voluntatis, ut omnes fatentur. Jam ex iudiciis obscuris, alia sunt temeraria, & absque debita diligentia eliciuntur, alia sunt certò probabilia, ac rationabilia, quæ non nisi post debitam diligentiam ex motivo absolute & comparative magno seu verè probabili imperantur. Hinc sic arguo. Imperium, à quo iudicium probabile dependet, rectum est & honestum, quia non temerè, sed rationabiliter imperat illud iudicium, utpote quod supponitur esse probabile ac rationabile, & non elici, nisi post diligentiam debitam. Econtra imperium, à quo iudicium temerarium dependet, non est rectum, sed pravum, ac reprehensione dignum, alioquin actus imperatus vitio verti non posset. Ecce omne iudicium certò probabile conforme est appetitui recto antecedenti, nempe imperio voluntatis, à quo dependet. Ergò omne eiusmodi iudicium est prudens, non quia elicitur à prudentia, sed quatenus regulatur & imperatur ab appetitu recto, sub hac enim consideratione est propria materia prudentiæ strictè dictæ.

24. Probatur quinto. Omne iudicium certò probabile est actus imperatus prudentiæ. Ergo est propria materia prudentiæ, &

rectè vocatur iudicium prudens, non quia elicitur, sed quia à prudentia imperatur. Tenet consequentia. Probatur antecedens. Imperium, à quo eiusmodi iudicium probabile dependet, est rectum & honestum, ut vidimus. Ergò regulatur à iudicio recto & prudenti, quia repugnat volunti rectæ, quæ à iudicio recto non regulatur. Jam hoc iudicium non potest esse obscurum & involvendum, alioquin opus esset alio imperio ad illud eliciendum. Ergò opus etiam esset alio iudicio prævio regulante, & sic in infinitum. Ergò standum est in imperio voluntatis, quod à iudicio evidenti regulatur. Hoc iudicium evidens est ratio recta per conformitatem cum objecto, & est actus à prudentia elicitus, quia proximè dirigit honestam voluntatis imperium. Porro evidens hoc iudicium, à quo dictum imperium regulatur, necessariò preponit honestatem, seu honestam eligibilitatem iudicii à voluntate imperandi, & dicitur, quod illud iudicium rectè seu conformiter ad rectum appetitum finis præconcepiti imperetur, alioquin imperanter se haberet ad tribuendam certam & indubitam rectitudinem ac honestatem in imperium, quod regulatur. Ecce omne iudicium certò probabile est, & merito vocatur iudicium prudens, quia est proprium objectum, de quo prudentia certa & evidens enunciat, quod rationabiliter elicitur, quodque ejus elicitor sit conformis recto appetitui finis. Hac ratione omne istiusmodi iudicium à prudentia strictè dicta imperatur, ac proinde verè & propriè est iudicium prudens, ortumque habet à prudentia strictè dicta, non ut actus elicitus, sed solum ut actus imperatus, qui per directam & ordinatam causalitatem ab actu prudentiæ certo & evidenti derivatur. De hoc argumento latè egi quest. 12. de consc. prob. num. 14. ubi plura huc spectantia invenies.

#### ASSERTIO QUARTA.

*Si loquamur in latiori, sed communi & usitata vocum significatione, omne iudicium certò probabile, maxime si versetur circa materiam morum, verè est & merito vocatur iudicium prudens, & propriissime dicitur prudenter elici.*

25. **P**ROBATUR primò. Omne iudicium quod post diligentem veritatis indagacionem, & post omnia hinc inde allata ab homine materia illius capace & perito debite perpen- citra omnem indebitam animi propensionem ob motiva tam absolute quam comparative magna elicitur, est & merito vocatur rationabile, & prudens, maxime si versetur circa mores, sunt propria materia prudentiæ strictè dictæ. Sed omne iudicium certò probabile est eiusmodi quia nititur motivo verè magno, quod meretur assensum, & non elicitur nisi à perito materia post debitam diligentiam adhibitam, ut ex definitione opinionis probabilis, & necessariò ad eam requisitis certò constat. Ergò omne iudicium certò probabile verè est, & merito vocatur prudens, maxime si circa mores versetur. Argumentum videtur constare ex per se notis, si loquamur in latiori, sed communi vocum significatione. Cæterum si quæ sit difficultas, ea est in majore, quæ ex eo probatur, quod omnes periti, qui materias, in quibus sunt versati, dicto modo examinant, ac determinant, verè sunt & habent.

Iudicium probabile, ejusq̄ objectum conforme est recto appetitui finis.

Iudicium probabile conforme est appetitui recto, à quo imperatur.



habentur sapientes ac prudentes in arte sua, quibus proinde omnes imperiti merito fidem praestant. Ergo iudicium, quod hoc modo eliciunt, verè est, & merito praesumitur rationale, sapiens ac peritum. Ergo est & merito dicitur prudens, quia sapientia & peritia confunduntur cum prudentia late dicta, prout nimirum prudentia stultitiae ac temeritati opponitur, in quo sensu communissime accipitur, maxime si restringatur ad materiam morum, nec de hoc videtur esse posse dubium.

Nollum iudicium probabile est temerarium.

26. Probatum secundò. Nullum eiusmodi iudicium temerè elicitur, quia circumstantiae illi adjunctae manifestè excludunt omne id, à quo temeritas procedere potest. Ergo omne eiusmodi iudicium absque temeritate, & consequenter rationabiliter, sapienter ac prudenter elicitur. Rursus, peritus de aliqua re consultus manifestè implet munus suum, si modo in assertione expresso quaestionem resolvat. Nemo enim nisi stultè aliud ab eo exigere potest. Ergo manifestum est, tale iudicium esse rationale, peritum, sapiens, ac prudens; nisi enim tale iudicium eliceret, non implet munus suum. Confirmatur. Omnes, qui veritatem & rectitudinem cupiunt, pro resolvendis suis dubiis tales quaerunt, quia praesumunt, ac sciunt, eos nil nisi rationale, peritum, ac prudens dicturos, si dicto modo quaestionem resolvant. Ergo tale iudicium est rationale ac prudens. Praeterea sic arguo. Si tale iudicium per accidens à vero aberret, perspicuum est, errorem illum esse inimputabilem, ac per debitam diligentiam prorsus insuperabilem ac inevitabilem. At omne iudicium eiusmodi, quod post dictam diligentiam evadit invincibiliter erroneum, moraliter loquendo habetur pro vero, censeturque prudens ac sapiens, respectu habito ad statum ignorantiae humanae, atque ad conatum, qui pro veritate inveniendi ab hominibus potest & debet adhiberi.

Aliae rationes pro assertione.

Expediunt hominibus elicere iudicia probabilia, & secundum illa operari.

27. Probatum tertio. Omne iudicium in assertionem expressum est tale, ut expediat illud elici, eò quod nitatur motivo, quod assensum meretur, qui enim talibus ob timorem erroris non assentiretur, vitæ civilis ac humanae societati ineptus esset, turpiusque erraret, quam si talibus fidem daret. Ergo omne eiusmodi iudicium est rationale, peritum, ac sapiens, alioquin non expediret illud elici, ut patet. At omne iudicium rationale, quod expediit elici, si de agibilibus & moribus enunciet, est & vocatur prudens in latiori significatione, quia rationi consonum est, hominique expediens, atque circa propriam prudentiae materiam versatur. Datis enim his, nil deest, quominus tale iudicium prudens dicatur, & ad prudentiam in latiori significatione reducatur. Et sanè ex nullo alio capite sapientes ac prudentes cognoscimus, aut homines esse prudentes ac sapientes reputamus, quam quia scimus aut praesumimus eos de rebus istiusmodi rationabiliter juxta dicta discurre. Dicere enim cum Celladeo eos tantum esse sapientes, si non errent, absurdum est, & contra communem omnium estimationem, quia est ponere definitionem prudentium ac sapientium, ad quos consilii causa debemus accedere, per quam scire non possumus, quinam sint, qui non sint prudentes. Ex his concluditur, necessarium esse, ut illi sint & dicantur prudentes, saltem quoad nos, & in latiori sed usitata significatione, qui de rebus agibilibus rationabiliter ac probabiliter iudicant, juxta dicta in assertionem.

Omne iudicium probabile non est temerarium, & communis significatione terminatum est per se, & dicitur in quoque prudentem elicitur.

28. Probatum quarto exemplis manifestis. Iudex prudenter iudicat & pronuntiat, illum esse reum, cuius crimen legitime convictum est. Et quidem absque dubio implet munus suum taliter iudicando, etiam quando per falsos testes decipitur. Ergo iudex ita iudicans prudenter iudicat, etiam quando in suo iudicio errat. Idem valet de Iudice iudicante juxta praescripta legum, in rebus minoris momenti, pro quibus tam effixæ probatio non requiritur, quam ubi agitur de vita hominis. Inde autem eadem de causa fit progressus ad omne iudicium in assertionem expressum, quia eadem de omnibus est ratio: iudex enim in civilibus non habet majus fundamentum, quam quod exprimitur in assertionem. Similiter qui ex errore, ob famam communissimam, credunt tales esse suos parentes, prudenter id credunt, quia non nisi stultè ac imprudenter circa hoc hæterent, sed & omnes communiter supponunt ac dicunt, tales homines prudenter iudicare; idque verum habent, quamvis fortassis illi decipiantur, & errent. Demùm S. Augustinus lib. de utilit. credendi, totus est in ostendendo, homines laudabiliter ac utiliter aliis credere, quamvis fidem illis dando nonnunquam decipiantur. Ergo ex mente Augustini & communi omnium consensu multa iudicia falsa verè sunt & dicuntur prudentia, quamvis sint falsa. Idem autem valet de omni iudicio probabili, quod in assertionem expressum est, quia eadem ratio aequè procedit de omnibus.

Judex prudenter iudicat, etiam quando à rebus decipitur, errat in suo iudicio.

29. Jam si talia iudicia juxta latiore, sed communem vocum acceptionem dicantur & sint prudentia, absque dubio propriissime ac strictissime dicuntur prudenter elici, ac imperari; quia per directam causalitatem descendunt à prudentia strictè dicta, ut ostensum est. Praeterea perspicuum est talia iudicia imperari ab appetitu honesto & laudabili, quod fertur in illa tanquam utilia, imò & necessaria pro vita humana debite instituentia. At omnia, quæ à tali imperio ortum habent, in omni rigore, ac propriissime loquendo prudenter eliciuntur, ut patet.

Judicium probabile prudenter elicitur.

30. Probatum quinto. Ratio proponens illud, quod revera convenit naturæ humanae, est ratio recta & prudens, tum quia proponit bonum, ad quod tendere congruum est, tum quia est recta ratio agibilium, ut patet. Sed omnis ratio probabilis de rebus moralibus, qualem exposuimus in assertionem, etsi falsa, proponit illud, quod reipsa naturæ humanae conveniens est. Ergo omnis eiusmodi ratio, etsi falsa, est ratio recta ac prudens. Minor, in qua sola est difficultas, admittitur à Celladeo hic lib. 3. quaest. 1. 3. ubi hæc habet. Sapienter quippe Vasquez. 1. 2. disp. 58. cap. 2. dicit: sed quia humana sapientia non potest omnia sine errore assequi, & absque ulla culpa aliquando apprehenditur ut bonum, quod malum reipsa est: ideo illud in re debet dici natura humana convenire, aut disconveniens esse, quod per rationem probabilem & diligentem proponitur, sive in re ita sit, sive non. Rectè igitur S. Thomas in hoc articulo dixit, rationem esse regulam humanorum aduum. Hac rectè Vasquez, si quando erratur, error est invincibilis. Hactenus Celladeus, qui ex mente Vasqui admittit minorem esse verissimam, in quo tamen sibi contradicit, quia jam prudentia, & ratio recta, aliquando inveniuntur in iudicio falso, & honestas invenitur in opere, quod ratio falsa regulat, quia quod verè est naturæ humanae consentaneum, haud dubiè est honestum, & operationem honestam fundat. At hæc duo sunt potissima, in quæ Celladeus toto opere invehitur. Hoc argumen-

Ratio probabilis proponit id, quod revera convenit naturæ rationali.

Vasquez nobiscum est.

Celladei contradictio.



tum ad hominem urget Celladeum, sed etiam absolute concludit intentum, quia ratio Vasquii, & fundamenta benignæ sententiæ evincunt veritatem minoris, quidquid sit de contradictione Celladei. Ergo minor est vera. Conclusio autem legitime deducitur.

Prudens est, qui probabiliter iudicat.

31. Ex dictis duo inferuntur. Primum est, eos in sensu latiori ac communiter usitato esse prudentes, qui in rebus obscuris, maxime si ad morès pertineant, probabiliter iudicant. Illi enim absque dubio sunt prudentes, qui iudicia prudentia eliciunt, prudentemque de rebus propositis sententiam ferunt. At omnia iudicia certo probabilia de rebus moralibus sunt prudentia, juxta dicta. Ergo qui talia iudicia eliciunt, sunt prudentes.

Motivum probabile rectè dicitur id, quod fundat iudicium prudentis.

32. Secundò inferitur, eos, qui definiunt motivum probabile per hoc, quod fundat iudicium prudens, aut quod à prudentibus merito probatur, aut quod illi assensus prudenter præbeatur, verum dicunt, & perspicue ac determinate loquuntur, nec per umbram in circulum vitiosum incidunt. Hoc expressè probatum est *quest. 24.* sed id ipsum ex hîc dictis clariùs percipitur, quia omnia & singula ad prudentiam tam strictè quàm latè sumptam spectantia explicata ac determinata sunt, absque eo quod idem per idem explicetur, ut patet. Ergo motivum probabile rectè ac perspicue per dictas expressiones exponitur.

Magnam datur discrimen inter actus, quos prudentes nominamus.

33. Demùm quamvis hæc omnia vera sint, multum tamen interest inter iudicia elicta à prudentia, & hæc, quæ non à prudentia, sed ab opinione eliciuntur. Illa enim essentialiter sunt actus prudentes, quia sunt proprii effectus illius virtutis intellectualis, quam prudentiam nominamus, ac proinde certò & infallibiliter verum dicunt, quatenus enunciant opus aliquod, quod per opinionem proponitur, esse conforme appetitui recto, & à Deo permittitur, &c. At iudicia opinativa, de quibus hîc loquimur, non sunt actus elicti prudentiæ, quæ est virtus intellectualis, sed solum actus imperati ab illa. Sunt etiam proxima materia illius, quatenus fundant discursum reflexum certum & evidentem, quo de licita operatione certificamur &c. Atque hinc actus isti probabiles verè sunt prudentes, & ad prudentiam pertinere dicuntur, quia scilicet sunt actus à prudentia imperati, & postquam imperati sunt, sunt materia & objectum proprium alterius discursus à prudentia elicti, ac proinde merito vocantur prudentes, quia objectum frequenter eandem denominationem habet cum actu & habitu, à quibus consideratur, sunt enim correlativa, & ratione correlationis eandem denominationem subeunt. Sic non solum habitus & actus fidei, sed etiam objectum creditum vocatur fides, juxta illud ex symbolo S. Athanasii. *Hæc est fides Catholica* &c. Idem locum habet in scientiis, & nominatum in prudentia.

Replica in contrarium.

34. Dices. Omnes sapientes tam Philosophi quam Theologi aliter loquuntur de prudentia, aliter de conscientia. Conscientiam dividunt in rectam & erroneam; nec tamen similem divisionem prudentiæ hæcenus proposuerunt, ut alia dicitur prudentia recta, alia erronea; nam error non est membrum prudentiæ, sed est ipsa imprudentia. Ergo perperam dictum est, multa iudicia falsa esse, & merito vocari prudentia. Ita Celladeus §. 2.

Actus prudens in latiori significatione di-

Respondeo sapientes aliter loqui de prudentia strictè dicta actibusque ab illa elictis, aliter de conscientia aut opinione; quia illa semper est

certa & evidens, non autem ista. At si loquamur de prudentia minùs strictè sumpta, aut de actibus à prudentia strictè sumpta imperatis, vel de propria prudentiæ reflexæ materia, certum est, sapientes, tam Theologos quam Philosophos, eodem modo loqui de iudicio certo practice probabili, quo loquuntur de dictamine conscientiæ incerto, sed vincibiliter non errante; quia omnes palam fatentur, multa iudicia summè probabilia, quæ sunt dictamina conscientiæ, esse invincibiliter erronea. Omnes autem ejusmodi iudicia prudentia & prudenter elicta vocare confecerunt, ut videre est in exemplis allatis. Quem loquendi modum retinet de iudiciis elictis, quamvis postea confliterit, errorem intervenisse. Præterea Auctores benignæ sententiæ (ipso Celladeo fatente, & de eo conquereute) in eo se fundant, quòd qui sequitur iudicium probabile, sequatur dictamen prudens ac prudenter elicitum, ideoque non peccet, quamvis illum errare contingat. Et sanè omnes Patroni benignæ sententiæ aut expressè per terminos explicitos, aut implicite per terminos æquivalentes ita loquuntur & sentiunt. Ergo omnes sentiunt ejusmodi iudicia esse prudentia. Ergo tantum abest ut distinctio iudicii prudentis in verum & falsum sit nova & inaudita, ut certum sit, illam esse communem, & si sermo sit de opinione probabiliori, à nemine præter Celladeum in dubium vocatam. Itaque distinctio hæc, in sensu à nobis explicato intellecta, legitima est, communique Auctorum omnium consensui, ac veritati ipsi consentanea.

#### SOLVUNTUR OBJECTIONES.

35. **O**BJECTIO prima. Appetitus rectus antecedens, cui opus, seu iudicium conformati debet, ut sit prudens, est intentio finis nostri, seu voluntas nos rectè ordinans ad finem nostrum verum. Ergo appetitus iste alius non est, quàm charitas, seu dilectio Dei saltem inchoata, quia sola charitas, perfecta aut inchoata, est virtus ordinans nos circa ultimum finem nostrum. At charitas est appetitus amplectendi bona, & vitandi mala, non quæ quomodocumque apparent, sed quæ reipsa sunt talia; quia eò collimat, ut exequatur quæ Deus verè iussit, & vitet quæ Deus reipsa prohibuit. Ratio est perspicua, quia si appetitus ille solum obligaret ad ea faciendâ & vitandâ, quæ apparent præcepta & vitata, non obligaret ad diligentiam pro veritate inveniendâ, quia sine ulla diligentia, alia ut præcepta, alia ut vitata sponte apparent. At haud dubiè obligat ad diligentiam, ut sciamus quæ sit voluntas Dei bonâ & bene-placens, & in hoc studet & vigilat omnis, qui tali appetitu urgetur. Ergo appetitus ille vult reipsa bona, & odit quæ reipsa sunt mala. Ergo dictamen proponens ut bonum, quod reipsa malum est, necessariò discordat materialiter ab appetitu recto. Ergo non est prudens, nec ad prudentiam spectat. Ita Celladeus hîc §. 2.

Respondeo quodvis opus esse rectum ac prudens, modò conforme sit ulli appetitui recto à ratione vera immediatè regulato, sive appetitui ille respiciat finem prorsus ultimum, aut finem non ultimum, vel etiam medium quodvis honestum, quia non est potior ratio de uno quàm de alio, ut per se patet. Præterea eo ipso, quòd opus sit conforme appetitui recto, per hoc precise est rectum ac prudens; unde Aristoteles & S. Tho-



S. Thomas non sicut uti nisi genericâ expressione conformitatis cum appetitu recto. Ergo hæc generica expressio continet essentiam operis prudentis. At hæc generica expressio æque convenit omni appetitui recto, ut pater. Ergo omnis appetitus rectus hoc habet, ut quidquid illi conformatur, sit prudens.

Charitas per accidens postulat opus malum invincibiliter creditum bonum, à nobis poai.

36. Sed ut insufficientia argumentorum à Cel- ladeo allatorum magis pateat, do ipsi, quod petit; nempe appetitum rectum antecedentem; de quo loquimur, esse intentionem finis ultimi veri ac debiti, imò esse charitatem aut inchoatam, aut etiam, si velit, omninò perfectam, quia sola charitas, saltem inchoata, est virtus ordinans nos circa verum finem nostrum. Hoc posito, fateor, charitatem esse appetitum amplectendi bona omnia verè præcepta, & vitandi mala omnia verè prohibita, quæ aut certò sunt talia, aut per humanam diligentiam indagari possunt, & sufficienter cognosci; quia haud dubiè charitas obligat omnes ad diligentiam ejusmodi, & ad ea exequenda, quæ per talem diligentiam sufficienter deteguntur, ideoque per se loquendo disponit ad ea, quæ præterit objectio. Sed difficultas est, an per accidens aliquando disponat, & dirigat ad alia? Ego haud dubiè affirmo; quia ob imbecillitatem & ignorantiam nostram sæpè contingit, ut post debitam diligentiam invincibiliter erremus circa ista, & aliqua proponantur ut præcepta, quæ revera sunt vetita. Jam in hoc casu evidens est, charitatem, utpote, sicut Celladeus ex S. Thoma rectè observat, virtutem architectonicam, postulare, ut talia fiant, quia juxta conditionem humanam, illa post diligentiam debitam invincibiliter proponuntur ut præcepta. Et sanè cùm intentio finis & charitas debeat architectonicè disponere de omnibus actionibus nostris, atque imperare omnes actus, non solum quibus ad diligentiam adhibendam tenemur, sed etiam ad ea, quæ post diligentiam adhibitam invincibiliter proponuntur; evidens est talem appetitum, postâ diligentia, stimulare homines probos, eosque dirigere ad faciendum opus, quod invincibiliter creditur præceptum & bonum, etsi reipsa sit malum & vetitum secundum se. Si talis esset humana conditio, ut per diligentiam certò scire possemus omnia, tam jussa quam à Deo prohibita, tunc quidem omnis error circa jussa & prohibita, & consequenter omne opus ab errore ejusmodi profectum repugnet appetitui recto, seu charitati, quia charitas impelleret nos ad veritatem ipsam indagandam, nec utriquam quiesceret donec ipsa veritas inveniretur. At contrario modo jam se res habet; ea enim est jam conditio nostra, ut nequaquam possimus omnia ista certò cognoscere, sed in multis necessariò erremus, ac proinde virtutis architectonicæ est, pro isto etiam casu deliberare, & ad deliberata perficienda stimulare. At clarum est, quod virtus illa aliud determinare ac ad aliud pro tali casu stimulare non possit, quam ut ea amplectamur & fugiamus, quæ post debitam deliberationem præcepta esse aut prohibita concluderimus; si enim ad aliud stimuletur, utique aut ad impossibile, aut ad peccatum stimuletur. Ad impossibile quidem, si ad veram aut certam talium cognitionem urgeret, aut obligaret; ad peccatum verò, si stante errore, quem vitare non possumus, ad opus errori contrarium obligaret, quia haud dubiè peccatum est contra conscientiam invincibiliter constitutam operari. Ergo certum est, opera à tali errore proposita, & executioni man-

data, esse conformia charitati, seu appetitui recto. Hinc etiam sequitur quod opus tale hic & nunc, ne materialiter quidem repugnet appetitui recto, quia materia hujus operis non sumitur secundum se præcisè, sed prout substat errori invincibili, in quo sensu nullo modo contrariatur, sed absolute & simpliciter congruit appetitui recto. Cæterum etià concederetur, quod opus illud secundum se acceptum, in aliquo sensu materialiter repugnaret charitati, evidens tamen est, quod hic & nunc formaliter ac directè illius inclinationi, exigentiæ, ac præscripto conveniat. Hoc autem & reipsa & ex mente Aristotelis ac S. Thomæ ad honestatem sufficit, & est ipsum verum; de quo prudentia strictè dicta enunciat.

Opus sic positum non solum formaliter, sed etiam materialiter conformatur charitati.

37. Ob. 2. Quando pater in venatione occidit filium, quem putat esse feram, voluntas occidendi filium, solum per accidens & ex ignorantia conjungi potest cum amore filii. Ergo voluntas occidendi filium simpliciter discordat ab amore filii; quia amor filii non est amor solum filii existimati, sed amor filii reipsa talis. At eadem est ratio de appetitu recto, qui non nisi per accidens, scilicet ex errore & ignorantia invincibili, conjungi potest cum opere materialiter pravo. Unde appetitus ille rectus est voluntas saltem virtualis, & si reflectatur, formalis & expressa exequendi omnia, quæ Deus reipsa jussit. Ita Celladeus loco citato.

Objectio 2.

Respondeo paritatem hanc & incongruam esse, & si quid valeat, nobis favere. Est incongrua, quia loquitur de filio existimato fera. At voluntas occidendi feram existimatam indifferenter se habet ad amorem & odium filii, quia æquè cum utroque coheret. Ergo illa voluntas impertinens est ad amorem filii, quia amor filii talem occasionem non dirigit. At nos loquimur de lege Dei invincibiliter, sed erroneè existimata; & queritur, an illam observare intuitu voluntatis divinæ sit conforme appetitui recto? Ad hoc autem determinandum paritas instituenda erat inter amorem paternam, & hominem erroneè sed invincibiliter creditum filium. At si hoc modo instituat comparatio, argumentum bene procedit, sed evidenter favet nobis; quia evidens est, voluntatem bene faciendi homini, invincibiliter existimato filio, esse conformem amori paterno, cùm amor paternus ad hoc obliget, & quicumque talem voluntatem omittit, dignus est vituperio, tanquam homo, qui à debito filiorum amore deflectit. Unde idem à pari valet in casu nostro, quia qui invincibiliter existimat, Deum aliquid præcepisse, tenetur utique illud exequi, idque ex impulsu charitatis, cujus propensione se conformat, quando illud exequitur, sicut ejusdem propensione contrariaretur, si illud facere detrectaret.

Nititur paritate incongrua.

Amor filii stimulat ad bene faciendum filio tantum existimato.

38. Et sanè exemplum patris & filii ex omnibus maximè contrariatur Celladeo, quia vix est pater, qui certò novit filium, & pauciores filii certò norunt suos patres. Ergo lex pietatis non aliter potest dirigere patrem ad amandum verum filium, quam exigendo ut amet eum, quem tantà apparentiâ & verisimilitudine credit esse suum. Jam licet amor extranei cogniti pro extraneo non sit conformis amori parentis, tamen amor extranei sumpti non merè materialiter, sed prout subest tantæ probabilitati quod non sit extraneus, quantam parentes communiter habent; talis, inquam, amor est conformis appetitui amandi filios, aut nullus amor filiorum est talis, quia vix ullus de suo amore aliud scit, quam quod

Exemplum à Celladeo adductum, maximè contra illum facit.



fit de filio, quem cum tanto fundamento reputat esse suum. Porro quia talis amor essentialiter supponit talem persuasionem; ideo talis amor essentialiter conformis est appetitui amandi filios. At objectum ipsum, seu persona amata ex se indifferens est, ut appareat vel non appareat filius. Ergo ex se non est conforme aut dissonum amori patris, cui tamen est profusus conforme, si sumatur prout substat dicto errori invincibili.

Propositio-  
nes Celladei  
equivocæ.

39. Hinc habemus, quod propositiones Celladei nullam vim habeant, nisi æquivocè accipiantur. Sic illa propositio: *voluntas occidendi filium simpliciter dissonat ab amore filii*: vera est in sensu formali, si accipiat pro voluntate occidendi cum, de quo quis dubitat; aut novit, quod sit filius; quia talis voluntas essentialiter repugnat cum amore paterno erga filium. At falsa est, si accipiat pro voluntate occidendi cum, qui invincibiliter putatur fera, cum realiter sit filius; nam illa voluntas non contrariatur amori paterni; certum enim est, amorem paternum conjugibilem esse cum tali volitione, quippe quæ essentialiter fundatur in iudicio dictante rem visam esse feram, cum exclusione omnis dubii omnique suspensionis de nocimento filii; ideoque nil habet ratione cuius repugnet cum amore patris erga filium. Hinc sequitur, idem à potiori dicendum esse de appetitu recto, qui repugnat quidem cum volitione, aut explicitè eligente malum, aut illud volente errore vincibili; nullatenus tamen repugnat cum volitione faciendi id, quod invincibiliter creditur esse bonum aut præceptum, etsi revera sit malum & vitium.

40. Rursus hæc alia propositio: *Appetitus rectus est voluntas saltem virtualis, & si reflectatur, expressa & formalis exequendi omnia quæ Deus reipsa iussit*: non est absolutè vera, ut jacet, quia sensus est, quod sit voluntas exequendi omnia, quæ Deus reipsa præcepit. At voluntas absolutè & efficaciter hoc intendens est imprudens in statu præsentis, qui fertur in impossibile; cum absolutè necesse sit, nos in multis errare, modò accipiendo vitium pro præcepto, modò præceptum pro vitio, &c. Ergo stultus esset, qui absolutè vellet illa omnia & sola exequi, quæ & qualiter Deus directè præcepit; quia vellet absolutè quod absolutè non potest exequi. Ergo appetitus rectus non est talis volitio. Itaque propositio illa non debet accipi absolutè ut jacet, & ut à Celladeo accipitur, sed exponi debet tanquam conditionata, ut sensus sit, appetitus rectus est voluntas exequendi omnia, quæ Deus reipsa iussit, ubi certò constat quæ Deus requirit, in aliis autem, quantum fieri potest debitam diligentiam adhibendo. At volitioni sic conditionatæ non opponitur error invincibilis, aut opus à tali errore regulatum, ut patet; immò in multis illi conformis est. Ergo error invincibilis, & opus ex tali errore profectum non contrariantur appetitui recto, sed in multis illi conformantur. Exemplum sume à filio appetente patri obedire. Appetitus filii stultus esset, si absolutè nollet obedire nisi patri vero, quia vellet quod non potest exequi. Faciat enim quod vult, necessariò errabit in iudicio de patre, & consequenter tenebitur ad obediendum non patri. Ergo prudens filius non habet appetitum absolutum, qualem ponit Celladeus, sed solum conditionatum, qualem posuimus.

Adde, Deum, ex suppositione erroris invincibilis, per accidens velle hic & nunc oppositum ejus, quod per se intendisset, si talis error non

intervenisset. Ergo non potest non esse conforme charitati & appetitui recto velle illi conformari, & ponere opus illud, quamvis materialiter malum.

41. Ob. 3. Actus affirmantes & negantes idem sub diversis conceptibus, sunt solum commpossibiles per accidens & ex ignorantia, quia, ablata ignorantia, intellectus necessariò desinit ab alterutra enunciatione. Interim hæc ignorantia non tollit contradictionem & oppositionem istorum iudiciorum. Ergo similiter discurrendum erit de actibus voluntatis. Ponamus aliquem expressè velle exequi quæ Deus reipsa iussit, & in ejus auxilio fixum sperare, se agiturum semper quæ reipsa iusserit. Hoc posito, si invincibiliter errat in aliquo, electio rei, circa quam errat; erit quidem conjugibilis cum universali illa voluntate ipsius; at solum per accidens & ex ignorantia, ut dictum est de actibus intellectus. Cæterum iudicium, dictans rem reipsa contrariam legi Dei esse præceptam, aperte discordaret à voluntate illa: Ergo commpossibilitas solum per accidens & ex ignorantia probat repugnantiam & disconformitatem per se, & secundum se. Ergo nullum dictamen erroneum est contentaneum appetitui recto; sed sicut errat materialiter circa res, ita errat materialiter circa appetitum rectum. Ergo dictamen erroneum nunquam dicitur conformia appetitui recto. Ita Celladeus loco citato.

Respondeo in primis argumentum procedere de subjecto non supponente, quia Celladeus supponit, volitionem, quam exprimit, esse appetitum rectum, etsi tendat absolutè ad ea omnia reipsa perficienda, quæ Deus reipsa iussit. At talis appetitus non est rectus, sed temerarius, præsumptuosus, ac stultus, ut constat ex dictis. Ergo licet nullum dictamen erroneum esset conforme tali appetitui, (quod tamen verum non est, quia adhuc bene cohereret, cum formaliter non discrepant, licet ex parte objecti esset materialis repugnantia; in hac autem questione magis attendendum est ad formalem convenientiam, quam ad materialem discrepantiam, quia formalis concordia potissimè locum habet in actibus humanis, qui ex sua natura sunt voluntarii. Ergo actus ille esset simpliciter conformis appetitui dicto, quia formaliter cum illo concordaret) non sequitur nullum errorem esse conformem appetitui recto, imò ex dictis sequitur oppositum, quia omnis appetitus rectus universalis est virtualiter, & si reflectatur, est formaliter conditionatus, ut ostensum est; & consequenter conformis est errori invincibili, ac operi à tali errore regulato. Præterea Deus de facto ex suppositione erroris invincibilis actu præcipit hoc, & vetat illud, quod præscindendo ab errore è contrario fuisse præceptum aut vitium. Ergo si actus ille, de quo Celladeus loquitur, vult omnia, quæ Deus de facto exigit à nobis, vult etiam opus ex errore invincibili profectum.

42. Respondeo secundò. Actus intellectus, affirmantes & negantes idem sub diversis conceptibus, esse per se & ex sua essentia conjugibiles. Ratio est, quia unus nullum prædicatum habet, ratione cuius possit alterum excludere ab intellectu, ut patet. Itaque falsum est, quod solum per accidens, & ex suppositione quodammodo casuali se pariantur. In eo est æquivocatio Celladei, quod non possint coherere nisi ex ignorantia, cum ignorantia ablata alter eorum actuum tollatur; hoc autem aliud non probat, quam



ignorantiam esse praedicatum inseparabile ab altero illorum actuum, quod est verissimum. Itaque sicut ignorantia non est accidentaliter, sed essentialiter actui falso, ita si ignorantia sit causa, quod actus falsus superaddi possit actui vero, illa conjungibilitas non accidentaliter, sed per se connectitur cum actu illo. Uno verbo, ignorantia essentialiter requiritur, ut talis actus existat, ideoque ablata ignorantia necessario tollitur illius existentia. At si semel existat, ex sua essentia conjungi potest cum altero. Ergo conjungibilitas istorum actuum est per se, non per accidens; ea enim per accidens se habent, quae rebus ipsis positae adhuc indifferenter se habent ad praedicatum, quod dicitur accidentale. At nil tale evenit in casu nostro, ut patet. Ergo conjungibilitas ista non est accidentaliter, sed per se & essentialiter istis actibus. Jam quod ignorantia non tollat contradictionem materialem & objectivam, non est ad rem, quia loquimur de contrarietate aut contradictione formali, ratione cujus unus actus excludit alium. At ignorantia ista impedit istam contrarietatem, & reddit actus illos simul producibiles, aut conjungibiles, quod solum intendimus.

43. Hinc sic argumentor contra Celladeum. Eadem ratione discurrendum est de actibus voluntatis, ac de actibus intellectus, cum ita se habeant actus voluntatis terminati ad objecta contraria sub diversa ratione, sicut actus intellectus. At actus intellectus ad talia terminati non solum sunt compossibiles, sed etiam ita sunt connexi, ut ex sua natura unus cum altero cohaereat. Ergo idem valet de actibus voluntatis, aut de generali intentione voluntatis respectu errorum & operum per errores representatorum, de quibus nunc loquimur.

Actus spei à Celladeo propositus non est spes, sed praesumptio.

44. Haec quidem ita se habent, & ad interitum sufficiunt; verum singula inspiciamus. In primis, qui absolute intenderet ea, quae Celladeus exprimit, imprudenter faceret, ut dictum est; similiter & qui talem spem eliceret, qualem proponit in argumento. Unusquisque quidem prudenter sperare potest, se in rebus necessariis necessitate medii non erraturum; at si quis absolute speraret, atque expectaret à Deo, se nunquam nec in jure, nec in facto erraturum, vanissime speraret; quia expectaret, quae Deus non promittit, ideoque speraret ea, pro quibus inducendis nulla esset bona dispositio in causis; quod est in vanum sperare. Ergo neuter ex istis appetitibus esset rectus. Pone collectionem omnium fidelium eo modo firmiter sperare, omnes ita agnituros suos veros parentes, veros fratres, & consanguineos, ut nemo circa hoc aut aliud ejusmodi, ut circa impedimenta matrimonii contrahendi sit erraturus. Nonne inanis foret spes ejusmodi, per quam moraliter impossibilia sperarentur? Quid stultius tali spe firmâ, cujus objectum à nemine nisi temerè expectari potest ut aliquando ponendum? Et tamen Celladeus aliud exemplum non habet, in quo specimen ponat appetitus, cum quo nec error nec opus ab errore directum conjungi possit.

Charitas nullam habet repugnantiam cum errore invincibili, aut cum opere à tali errore proposito.

45. Falsa est etiam illa propositio: *Compossibilitas solum per accidens & ex ignorantia probat repugnantiam & disconformitatem per se.* Falsa est, inquam, quia evidens est, compossibilitatem accidentalem duorum nullam ex suo conceptu repugnantiam aut contrarietatem inter illa involvere. Sic per accidens est, quod homo iter faciat sine fatigatione, quia id non contingit nisi ex

suppositione, quod utatur navi vel curru &c. Nihilominus iter facere sine fatigatione per se non repugnat homini, nec naturali illius inclinationi contrariatur. Ratio est, quia quoties accidens ipsum, ex cujus praesentia aliud alicui adjungitur, non est violentum subjecto, aut contrarium illi; cui superadditur, toties quod tali accidenti naturale est, nullam subjecto violentiam aut cum priori forma, contrarietatem habere potest: hac de causa cum ipsa suppositio; scilicet vehi navicula, non sit contrarium aut violentum homini; neque iter agere sine fatigatione, est ipsi contrarium, aut violentum, quia hoc ipsum naturaliter consequitur ad ipsam suppositionem. Idem prorsus locum habet in casu nostro. Ignorantia invincibilis est suppositio, dependenter à qua error & opus ab errore perfectum conjungi potest cum appetitu recto, seu cum charitate. At ignorantia ista nullam habet contrarietatem cum charitate, seu cum appetitu recto, alioquin iusti talem ignorantiam non paterentur, Deus enim non facit miracula ut affligat justos; quod certè faceret, si gratia ex sua natura repugnaret cum tali ignorantia, quia contra exigentiam gratiae & charitatis privaret eos scientia ipsi debita. Ergo neque error necessario sequens talem ignorantiam, neque opus ab errore directum ullam habet contrarietatem aut repugnantiam cum appetitu recto, seu cum charitate.

46. Neque falsa tantum est dicta propositio, sed etiam intento ac doctrinae Celladei prorsus contraria; sic enim arguo. Quod per se & intrinsicè contrariatur appetitui recto, haud dubie peccaminosum est; sed error invincibilis, & opus ab eo regulatum intrinsicè & per se contrariatur appetitui recto. Ergo per se & intrinsicè sunt peccaminosa. Major & ex se patet, & ex eo confirmatur, quia plus est repugnare & contrariari appetitui recto, quam illi non conformari, sed quodammodo ad illum indifferenter se habere. At hoc secundum infert, actum indifferenter se habentem ad appetitum rectum non esse bonum: ergo primum, nempe intrinsicè contrarietas & repugnantia cum appetitu recto, aperte arguit malitiam & peccatum. Praeterea appetitus rectus, de quo loquimur, est intentio finis debiti. At quod contrariatur & repugnat intentioni efficacissimi debiti, & ab illo nos avertit, est malum & peccaminosum. Ergo quod contrariatur appetitui recto malum est & peccaminosum. Itaque major est vera, minor est ipsa Celladei doctrina, quam omni conatu insinuare contendit. Consequentia autem & evidenter falsa est, & prorsus contraria toti intento Celladei, qui asserit voluntatem à conscientia invincibiliter erronea regulatam, non esse malam & peccaminosam, & in hoc tanquam in primario quodam fundamento totam discursus sui machinam erexit. Ad eò sibi in omnibus contrariatur hic Auctor, ut ubi maxime vult aliquid ad intentum pertinens probare, illud aliter haud faciat, quam recurrendo ad principia non solum falsa, sed primario ipsius asserto ac intento prorsus repugnantia.

Fundamentum Celladei doctrinam ipsius evertit.

Quod contrariatur appetitui recto est peccaminosum.

47. Praeterea toto eò admissio, quod Celladeus dicit, adhuc contrarium ejus, quod probare intendit, legitime deducitur. Esto enim, tale opus per se loquendo contrariatur appetitui recto, attamen saltem hinc & nunc, per accidens, & ex suppositione ignorantiae invincibilis illi conformatur. At hoc tam ad intentum nostrum, quam

Conformitas cum appetitu recto, est per a eisdem existat, sufficit ad prudentiam.



quàm ad Celladeum revincendum sufficit; quia omne, quod conforme est appetitui recto, prudens est & honestum, undecumq; tandem proveniat illa conformitas, sive per se, sive per accidens, quia quoties adest constitutum, toties adest constitutum, etsi forma constituens merè per accidens, immò & contra exigentiam adjuncti subiecto. Sic aqua est calida, quamvis per accidens, immò & violenter calorem recipiat. At error invincibilis, & actio ab eo regulata hinc & nunc, saltem per accidens, & ex suppositione ignorantiae, est conformis appetitui recto. Ergò utrumque hinc & nunc est prudens, & reflexè per prudentiam certò & infallibiliter affirmari potest.

Æquivocatio Celladei d. tegitur.

48. Demùm fundamentalis æquivocatio Celladei in eo vertitur, quòd non distinxit inter opus secundùm se consideratum, & illud idem ut substans errori invincibili & persuasioni probabili, quòd sit licitum, aut etiam præceptum. In primo sensu opus malum nunquam est conforme appetitui recto, quia malum est, nec habet unde honestatem accipiat, aut fundet actum à prudentia elicatum, quo conscientia certò dirigatur ad licitè operandum. Immo, quod plus est, admitti potest, quod tale opus materialiter contrarietur appetitui recto, quia in hoc sensu est materialiter malum. At in secundo sensu res aliter se habet, quia jam objectum illud non sumitur secundùm se, sed prout apparet, & probabiliter ac invincibiliter creditur bonum. At in tali acceptione opus illud hinc & nunc verè à Deo permittitur, aut etiam præceptum, ideoq; dici potest & est simpliciter honestum, & fundat actum reflexum à prudentia elicatum, quo certificatur conscientia, quòd illud exequendo non peccet, sed benè operetur, quidquid sit an per accidens erret vel non erret in iudicio probabili directo, quo invincibiliter existimat opus illud esse honestum, aut etiam præceptum.

Objectio 4.

49. Ob. 4. Electio mali, quòd creditur bonum, est involuntaria secundùm quid eligenti, quia ignorantia antecedens semper causat involuntarium. Præterea qui diligit Deum, tristatur quoties scit se materialiter fecisse contra legem, & nollet id fecisse. Ergò talis electio est contra aliquam voluntatem antecedentem, sicut projectio mercium in tempestate, quia inde nascitur tristitia. Hæc autem voluntas antecedens est ipse rectus appetitus finis. Ergò dictamen dicens malum bonum non est conforme appetitui recto, sicut non est conforme rebus, sed materialiter ab eo discordat. Ita Celladeus §. 2.

Non probat intentum.

Respondeo argumentum solum probare, omnem malitiam, omnemq; peccati rationem esse involuntariam eligenti malum, invincibiliter existimatum bonum. In hoc autem sensu malitia illa est simpliciter & absolute involuntaria, nullo autem modo, ne quidem secundùm quid, est voluntaria, quia ignorantia antecedens tollit omne voluntarium, ut notum est ex ipsa voluntarii definitione, & ab omnibus traditur 1. 2. ubi de voluntario tractatur. Cæterùm in casu præsentis, factum ipsum & ratio boni, sub qua invincibiliter proponitur, sunt simpliciter voluntaria. Et quidem ratio boni, quæ proponitur, nullam admittit rationem involuntarii secundùm quid, quia ipsa & sine errore cognoscitur, & propter se amatur, licet error in eo contingat, quòd bonitas amata tali objecto convenire credatur, atque ut illi juncta ametur. Jam quòd ipsum factum, ob ignorantiam qualitatis ipsius, sit aut non sit

involuntarium secundùm quid, nil refert ad præfens institutum, quia etli dicitur involuntarium secundùm quid, haud dubiè tamen est simpliciter voluntarium. Ergò simpliciter est conforme appetitui recto, à quo nimirum non solum error ipse hinc & nunc provenit, sed etiam, stante errore, opus ipsum imperatur. Ergò simpliciter est prudens, & propria prudentiæ materia, sicut dictum est. At illud in unoquoque, quòd simpliciter est tale, prævalet illi, quòd solum est tale secundùm quid. Ergò licet tam error, quàm opus ipsum sit involuntarium secundùm quid, & secundùm quid materialiter repugnet recto appetitui finis, non inde sequitur, quòd non sit prudens, sed oppositum legitime deducitur, quia simpliciter conformatur tali appetitui. Hoc autem haud dubiè sufficit, ut quid sit & dicatur prudens, seu propria prudentiæ materia.

50. Id ipsum clarè conspicitur in exemplo profero. Qui bonum, quòd invincibiliter creditur malum, eligit, turpiter operatur, quia malitia est illi simpliciter voluntaria, licet non operetur rem malam sed bonam, cujus bonitas materialiter & secundùm quid est illi involuntaria, quamvis non formaliter & in ratione bonitatis. Ergò similiter qui facit malum, invincibiliter creditur bonum, benè ac laudabiliter operatur, quia hic æque afficitur ad bonum ac ille ad malum, & bonum tam voluntarium est huic, quàm malum illi. Similiter voluntas boni crediti mali non magis contrariatur appetitui recto finis, quàm voluntas mali crediti boni eadem conformetur. Ergò ista voluntas bona est & prudens, sicut illa est mala & stulta.

51. Adde paritatem de proficiente merces nec esse ad rem, nec intentum probare. Non est ad rem, quia proficiens merces novit malum quòd imminet; sed quia videt illud esse impossibile cum bono majore, contemnit bonum illud minus, ne majus amittat, unde malum illud est voluntarium simpliciter, & solum involuntarium secundùm quid; idque non ex ignorantia, sed ex amore majoris boni impossibile, quia illa impossibilitas ipsi aliquo modo displicet; nollet enim eam adesse, si posset. At casus noster procedit de involuntario ex perfecta mali ignorantia, quæ causat involuntarium simpliciter. Ergò paritas non est ad rem, quia arguit ab involuntario simpliciter ad involuntarium secundùm quid, quòd à ratione profus alienum est. Præterea arguit ab involuntario cum scientia mali ad involuntarium fundatum in perfecta mali ignorantia; quæ argumentatio haud dubiè nil valet, ob diversum motum animi, diversumq; modum tendendi in uno ac in altero casu. Atque hinc etiam sequitur, paritatem illam non probare intentum; assertur enim ad probandum quòd electio mali crediti boni tristitiam causat, & sit involuntaria secundùm quid, quia projectio mercium, quæ secundùm quid est involuntaria, non absque aliqua tristitia atque animi acerbitate exercetur. At hoc non sequitur ex paritate; ideo enim projectio mercium tristitiam parit, quia cognoscitur ut malum præfens & inevitabile. At in casu nostro nulla est apprehensio mali, sed firma persuasio boni, ideoque nil est quòd tristitiam pariat. Ergò paritas illa inepta est ad intentum probandum.

52. Præterea falsum est, quòd probare intendit. Nemo enim rationabiliter tristetur ob actionem suam, eo quòd fecerit malum, si consiliter illud



vincibili regula ob contrarietatem cum recto appetitu finis. illad invincibiliter creditum fuisse bonum; nulla enim ob talem actionem dolendi, sed magna potius datur causa gaudendi. Nilla dolendi, quia nil culpae inest tali actioni, nec ulla ob eam poena infligi potest. Ergo non est ut doleat de actione illa. Est autem cur gaudeat. In primis sic operando implevit obligationem, qua urgebatur, quam certe violasset, nisi ita operatus fuisset, quando error rem proponebat ut praeceptam. Secundò ostendit bonam suam voluntatem erga Deum; cui obedivit in iis, quae ab ipso praecepta esse scire potuit. Tertiò ex hoc affectu atque operatione bonum habitum ad Deo obsequendam aut induxit, aut auxit. Est ergo cur laetetur, se ita operatum fuisse in illis circumstantiis, si solum ad affectum charitatis, & appetitum finis respiciamus. nec umbra apparentiae est, cur relate ad istos affectus ob operationem nostram tristemur. At nos loquimur in praesenti de eo solum, quod ex comparatione ad habitum charitatis & debitum finis appetitum provenit.

53. Quod facit equivocationem est, quia, detecta veritate, saepe tristimur ob alias causas. Frequenter timemus, ignorantiam non fuisse profusum invincibilem; inde autem ampla tristitia causa provenit. Aliquando invenimus nos nobis, aut amicis, vel latem proximis grave damnum temporale intulisse, unde tristimur de opere relate ad istos fines, quia opus positum contrariatur particularibus illis affectibus; sed affectui charitatis, aut recto appetitui finis actio illa nullatenus contrariatur, sed ab illis ortum habuit, ut ostensum est. Praeterea omnis error est intellectus, ex illo autem errore contracto videmus, spem nostram de non errando fuisse delusam; si niliter experimur, & quasi tangimus debilitatem intellectus nostri, meritoque timemus, ne iterum decipiamur. Haec autem omnia, aut praesentia aut imminuentia, sunt materia tristitiae. De his ergo si nihilis que dolemus, sed in ordine ad appetitum finis & finem charitatis de ipsa operatione nostra non dolemus. Quis non videt absurdissimum esse, quod anima filii obedientissimi statim post mortem corporis sui tristanda sit ob perfectam obedientiam patri invincibiliter exultimato praestitam? Nihil manifestum est, malum materiale, ex parte operis praecise consideratum, nullam causam tristitiae praebere relate ad finem ultimum, & rectum ejus appetitum, quidquid sit de aliis considerationibus in ordine ad particulares affectus, nobis inexistentes. Demum postquam error detectus est, & homines sciunt illud, quod antea fecerunt, esse malum, & secundum se Deo displicere, semper in posterum illud averteantur, quia circumstantiis mutatis non amplius representatur ut antea representabatur. Sunt enim ita affecti, ut rem illam amplius facturi non sint, ideoque rem illam secundum se consideratam averteantur, sed actionem suam prius positam nec culpant, nec de ejus positione ulla ratione tristantur relate ad rectum finis ultimi appetitum.

Obj. 5. 54. Ob. 5. Proprium est prudentis, posse rectè consultare de iis, quae ipsi bona sunt atque utilis, non ex parte, sed quae ad bene vivendum in universum, ut expressè tradit Aristoteles 6. Ethic. cap. 5. Qui ergo universaliter de his omnibus rectè consultat, est homo simpliciter prudens; qui autem de iis universum non rectè consultat, non est simpliciter prudens, sed ad summum secundum quid, in quantum scilicet, de aliquibus saltem rectè consultare potest. Hoc ipsum Aristoteles pro-

bat exemplo prudentiarum particularium hoc modo. Cui rei argumentum illud est, quod eos, qui circa aliquid consultant, prudentes appellamus, cum ad finem aliquem bonum de iis, quorum non est ars, rectè ratiocinantur. Quare in universum quoque u erit prudens, qui est consultatorius. Hisce de natura prudentiae, tam generalis & simpliciter dictae, quam particularis & secundum quid, stabilitis, licet arguitur.

55. Prudentia particularis non versatur circa bona & mala existimata solum talia, sed circa bona & mala re ipsa talia. Certè non esset prudens dux, qui malè aciem ad pugnam instrueret, quamvis ob errorem inculpabilem, illa ipsi videretur optime instructa. Idem videre est in aliis omnibus prudentiis particularibus. Ergo idem valet in prudentia simpliciter dicta, & in universum. Ergo prudentia locum non habet quando intellectus errat circa bonum & malum; ideoque proprium illius objectum non est bonum & malum solum existimatum, sed bonum & malum re ipsa tale.

56. Confirmatur. Quae sunt bona & mala in ordine ad finem prudentiae militaris, aut alterius prudentiae particularis, talia sunt per se, nec talia fiunt, aut ullatenus alterantur per nostram existimationem. Et haec quidem praesupponuntur ut bona & mala per se, ac invariabilia in ordine ad fines illos particulares. Ergo similiter in ordine ad finem simpliciter, aliqua sunt objecta per se mala, alia bona per se. Primi generis sunt mendacium, furum, homicidium, usura &c. Secundi generis sunt, charitas, pax, longanimitas, justitia, misericordia &c. Haec objecta non magis transmutari possunt ab existimatione nostra, quam objecta prudentiae particularis. Nec mirum, quia actus specificantur ab objectis, non è contra; ideo enim voluntas menuendi est mala, quia mendacium est malum, & non è contra. Ergo prudentiae est rectè dicere de bonis & malis simpliciter, non de bonis & malis tantum existimatis. Et hoc ipsum Philosophus aperte indicat, dum dicit, prudentem dici, qui rectè consultat de iis, quae sibi ipsi bona sunt, non de iis quae existimantur; de his enim quis potest rectè consultare.

57. Confirmatur secundò. Si quis enutritur in sylvis, & universum ita erraret, ut omnia mala diceret bona, & omnia bona crederet mala, hic non esset prudens, licet omnia exequeretur prout judicat, sed esset stolidus & pejor serà. Ergo omnes errores, etiam invincibiles, non reddunt omnia bona mala, & omnia mala bona. Ergo nec unus error bonam unum reddit malum, aut malum bonum, alioquin duo errores duo mala redderent bona, & omnes omnia. Ergo prudentia non est nisi de bono & malo vera tali. Ita Cellaeus §. 3.

58. Respondeo, omnia ex Aristotele allata esse verissima, sed ex iis ad intentum nil profus inferri. Et sanè in primis Cellaeus ipse disparitatem apertam admittere tenetur, & discretè admittit tam inter prudentiam particularem & prudentiam simpliciter dictam, quam inter utriusque opus; quia adeptio finis, aut remotio impedimenti contrariantis fini prudentiae particularis totaliter dependet ab ipso opere materialiter sumpto, sicut supra dictum est de opere & fine artis. Unde existimatio erronea, qua Dux putat se aciem bene instruere, cum eam malè instruit, non magis conducit ad impediendam victoriam inimici, quam si Dux conscientius erroris sciens & volens

Prudentia particularis non versatur nisi circa bonum & malum reale.

Bonum prudentiae particularis non fit tale per nostram existimationem.

Qualis esse homo, qui in omnibus erraret?

Prudentia particularis imitatur artem magis, quam prudentiam simpliciter.

Voluntatem non creditur

Prudentiam non creditur

Namque



Objectio  
Celladei  
repugnat i-  
plius doctri-  
nae.

volens militem malè ordinaret. Atque hinc est, quòd artes omnes, & prudentiæ particulares, quæ in hoc imitantur artes, non versentur nisi circa bona & mala realiter talia, quia nulla alia consideratio juvat ad finem artis obtinendum, aut ad malum finis artis oppositum impediendum. At omnia contrario modo se habent in materia prudentiæ simpliciter dictæ, quæ solùm enunciat de honestate & inhonestate nostrorum actuum: certum enim est, quod ignorantia & error invincibilis excuset à peccato, & sic tollat omnem contrarietatem operis mali cum adeptione finis. Ergò certum est, errorem & ignorantiam aliter se habere in ordine ad finem prudentiæ simpliciter dictæ, quàm in ordine ad finem artis, aut prudentiæ particularis. Ergò licet artes & prudentiæ particulares non versentur nisi circa bona & mala reipsa talia, non sequitur prudentiam simpliciter dictam non versari circa bonum & malum non reipsa, sed solùm in existimatione tale.

Prudentia  
quando ver-  
satur circa  
bonum exi-  
stimatum  
nunquam  
errat.

59. Cæterum si presè loquamur, prudentia presè dicta locum non habet, quando intellectus errat circa bonum & malum, quia prudentia presè dicta est virtus intellectus; impossibile autem est, ut intellectus per virtutem suam falsum dicat, ut ex dictis constat. Ergò prudentia strictè dicta nec aberrat, nec à vero aberrare potest. Itaque in hoc Celladeus æquivocare videtur, quòd confundat objectum, in quod prudentia tendit, cum actu ab illa elicito. Objectum prudentiæ in casu erroris invincibilis non est res ipsa secundum se & circumstantias illi naturaliter connexas, sed est res illa ut substat iudicio, quo post diligentiam debitam res illa creditur honesta, aut etiam præcepta. Jam quando res illa directè considerata per iudicium erroneum creditur honesta, nemo dicit, iudicium illud esse actum à prudentia strictè dicta elicito, quia actus ille est falsus, & dicit illud bonum esse, quod ex natura sua est malum, & postulat prohiberi pro omni circumstantia, pro qua propria illius natura & essentia innotescit. Itaque actus prudentiæ in hoc casu subsequitur dictum iudicium, atque iterum considerat illud idem objectum secundum alias circumstantias, nempe prout post debitam diligentiam adhibitam substat iudicio rationabili directè dictanti, illud esse permissum vel præceptum. Jam res illa, ut substat huic iudicio, reflexè affirmatur à prudentia, quæ dicit illud malum non esse, nec ad culpam imputari posse. Imò quando res proponitur ut obligatoria, dicit illam absque peccato omitti non posse. Quæ omnia verissima sunt etiam ex mente Celladei. Præterea verum etiam est, quod res illa in illis circumstantiis sit bona, & Deo absolutè placeat hic & nunc, ut *quæst. 3.* probatum est. Itaque quando intellectus directè errat circa bonum & malum, datur locus prudentiæ reflexæ, quæ nunquam errat circa suum objectum. Ergò proprium objectum prudentiæ, adæquatè sumptum, semper est bonum & malum reipsa tale, & non merè existimatum, licet intellectus in prævio discursu, in quem prudentia tanquam in objectum suum partiale reflectit, à vero aberraret.

Disparitas  
inter pru-  
dentiam  
simpliciter  
& pruden-  
tiam parti-  
cularem.

60. Ad primam confirmationem, esto: bona & mala in ordine ad finem prudentiæ particularis, omniumque artium sint talia per se materialiter sumpta, nec ulli variationi obnoxia ob nostram existimationem; sed evidens est rem aliter se habere in ordine ad finem prudentiæ propriè dictæ, quia certum est, bona evadere mala, si existi-

mentur mala; qui enim, sive vincibiliter, sive invincibiliter, crederet misericordiam esse peccatum, peccaret utique, si elemosynam largiretur, illamque largiendo fini adipiscendo verum & reale impedimentum apponeret; at nil simile evenit in prudentiis particularibus & artibus, quia qui benè aciem instrueret, utique poneret medium verè illativum victoriæ, etsi ipse putaret, atque etiam intenderet, illam aciei instructionem esse sui exercitus destructivam. Stat ergò bona & mala esse variabilia in ordine ad finem prudentiæ strictè dictæ, illamque varietatem à diversâ illorum representatione desumi; etsi concedamus quod bona & mala relatè ad finem artis & prudentiæ particularis sint invariabilia, & nullam à nostra persuasionem mutationem accipiant. Cæterum universaliter loquendo falsum est, quod malum creditum bonum nullo modo conducatur ad finem prudentiæ particularis, oppositum enim est certissimum; si enim tam dux exercitus, quam milites omnia ad victoriam reportandam optimè instructa existiment, ex hac ipsa persuasionem plurimum animantur ad generosè pugnandum, & validè resistendum inimicis, à quibus facile fugerent, si scirent se ad resistendum esse malè dispositos. Ex hac porro acri pugna & generosâ militum resistentia non rarè reportatur victoria, licet acies ipsa inscitè ordinata fuerit. Tantum ergò absit ut bona & mala in materia prudentiæ propriæ dictæ sint inalterabilia, ut etiam in materiis prudentiarum particularium magnam alterationem ex varietate persuasionis nostræ subeant.

61. Hactenus dicta intelligenda sunt de rebus bonis & malis materialiter sumptis, de illis enim hac solùm ratione acceptis verum est, quòd in ordine ad finem prudentiæ variationem subeant, quando erroneè creduntur bona vel mala. Cæterum multa sunt bona & mala, quæ invariabiliter sunt talia in ordine ad ultimum finem hominis. Sic invariabiliter jubet operari contra conscientiam, Deo certò jubenti non obtemperare. Similiter invariabiliter bonum est, Dei offensam vitare, in dubiis Dei voluntatem investigare &c. Hæc enim, & alia ejusmodi clarè expriment rationem formalem objectivam, nempe voluntatem Dei verantem aut præcipientem, à qua moralitas in actus humanos derivatur. Tam clarè enim proponuntur ut bona vel mala, ut nemo, cui proponuntur, de earum veritate, nisi per summam temeritatem & animi perversitatem dubitare possit, aut illa ignorare. Jam quòd ad objecta à Celladeo proposita attinet, illa etiam aut omnia, aut pleraque sunt ejusmodi, saltem respectu plerorumque, quia rarissimè proponi possunt, quin statim voluntas Dei vetans illa mala & præcipientis ac approbans illa bona, simul sufficienter proponatur. Et hæc est unica ratio, ob quam illa objecta rarè transmutari possint per actus nostros. Cæterum mirum est, Celladeum dicere potuisse, hæc objecta non magis transmutabilia esse à dispositione nostra, quam objecta artis & prudentiæ particularis, cum loquatur in sensu composito erroris & ignorantie invincibilis, qua stant, certum est etiam apud ipsum, mala non esse moraliter mala, nec ullum operanti detrimentum afferre, quia ignorantia talis excusat à toto. Ergò dum hoc dicit, sibi suæque sententiæ, immò & apertè veritati contradicit.

62. Nec felicior est Celladeus in probando, quòd talia objecta sint invariabiliter talia, ex eò quòd voluntas mentienti ideo sit mala, quia dicitur menda-



Secundum s. considerato. mendacium est malum, & non est contra, & quia actus specificantur ab objectis & non est contra. Reflecat parum ad hominem ex errore invincibili credentem se ad salvandam vitam proximi mentiri debere, & argumenti nullitatem videbit. Certè volitio mentiendi in tali casu non est mala, & tamen mendacium ipsum non potest non secum ferre scipsum, totamque physicam malitiam, quam habet. Ergò si hic actus specificaretur à malitia intrinseca ac prorsus inseparabili hujus objecti, utique necesse foret, actum illum esse malum, alioquin actus ille separaretur à suo specificativo ac differentia essentiali, quod est prorsus impossibile. Certum ergò est, quod voluntas mentiendi non ideo sit mala, quia mendacium est rei ipsa malum, & secundum se naturæ rationali dissonum.

63. Itaque actus intellectus & voluntatis specificantur quidem ab objectis, non secundum se acceptis, sed ut representatis. Sic actus evadit affirmativus, si termini represententur ut connexi, quamvis rei ipsa sibi sint contrarii. Præterea unicum, vel certè potissimum specificativum desumitur ab objecto formali, in quod actus tendit ratione ipsius, & propter quod quodammodo extenditur ad aliud. Hæc certa sunt ex Philosophia ac Theologia omnium. Et sanè doctrina hæc potissimum locum habet in voluntate, quæ, utpote potentia cæca, non fertur in objectum nisi prout illi proponitur. Unde si mendacium illi proponatur ut bonum, non potest idem actus specie prodire, qui prodit quando representatur ut malum. Quod maxime verum est, quando diversa illa representatio est invincibilis. Ratio est, quia actus voluntatis specificantur ab objecto formali, prout proponitur voluntati. At quando mendacium invincibiliter proponitur ut bonum & præceptum, objectum formale voluntatis est aliud, & aliter proponitur, quam quando representatur ut malum. In priori enim casu objectum formale est voluntas Dei obligans ad mentendum, cui voluntas adhæret, & vi illius ad mendacium amandum extenditur. In secundo verò casu objectum formale est commodum aliquod, imperio Dei mendacium vetantis oppositum, cui commodum voluntas, ut inhæreat, sponte à Dei imperio se avertit. Ergò necesse est, ut in istis casibus procedant actus voluntatis specie diversi. Hæc clara sunt, & tamen doctrinæ huic tam certæ, tam claræ, tam indubitanter ab omnibus admittæ, totus Celladei contextus, universumque ejus intentum penitus aversatur.

64. Latet etiam æquivocatio in illa Celladei propositione. Prudentiæ est rectè judicare de bonis & malis simpliciter, & non solum de bonis & malis existimatis, atque id ipsum Philosophus indicat, dum ait, prudentem dici, qui rectè consultat de iis, quæ ipsi bona sunt, non de iis quæ existimantur, quia de his quibus potest rectè consultare. Si enim sermo sit de actibus à prudentia elicitis, propositio est vera, quia illud objectum, ad quod sumptum, de quo prudentia enunciat, non apparetur tantum, sed verissimè bonum est aut malum; si autem loquamur de actibus præviis, quos prudentia reflexa præsupponit, ut propriam suam materiam, falsum est, quod ad prudentiam pertineat efficere, ut intellectus in illis non erret; cum enim objectum sit incertum, prudentiæ est cautè procedere, sed errorem omnem impedire in hominis potestate non est, ut patet. Prudentia ergò directa dicitur de bonis & malis simpliciter, ubi bonum & malum certè cognosci potest. At ubi veritas invincibiliter latet, & certè cognosci nequit, non est prudentiæ de talibus objectis judicare ut sunt in se, sed opus est prudentiæ reflexæ, quæ novam consultationem instituit, atque de illis ut existimatis enunciat; de illis enim sic acceptis verissimè dicitur, quod sint conformia appetitui recto, & consequenter honesta.

65. Falsum etiam est, quod dicit, quemvis possit rectè consultare de bonis & malis existimatis, cum oppositum sit manifestum. Plurimi enim discursus reflexi, in se valde difficiles, præmitti debent, ut sciamus quid in tali casu ob conscientiam formatam liceat. Nominatim qualitas iudicii directi, ejusque certa probabilitas sciri debet, ut postea per principia reflexa, tandem veniamus ad certum dictamen de honestate operationis. At quis non videt, hæc esse non minus difficilia, quam dictamina prudentiæ directæ, quando illa certè & evidenter enunciat de objectis secundum se. Ecce quoad hoc non est disparitas inter consultationem de rebus in se & de rebus existimatis, imò potior difficultas reperitur in consultatione de rebus existimatis, quia antequam veniamus ad consultationem reflexam, præmitti debet consultatio de rebus ipsis. Post eam autem consultationem conclusam, adhuc opus est nova consultatione de qualitate prioris discursus, & sic demum, eà etiam peractâ, intellectus, recurrendo ad principia synderesis reflexa, per prudentiam reflexam format dictamen certum de honestate operationis.

66. Ad secundam confirmationem dico, suppositionem, ex qua procedit, esse naturaliter impossibile, quia multa sunt adeo patenter bona, alia tam evidenter mala, ut nemo sui compos possit de illis dubitare, & multo minus eadem invincibiliter ignorare. Ergò argumentum procedit de subjecto non supponente: sed esto, admittatur suppositio, ex illa admittæ, nil eorum, quæ Celladeus infert, sed opposita omnia deducuntur. In primis talis homo esset prudens, & prudentissimus, si in omnibus suæ conscientiæ se conformaret, quamvis enim in iudiciis directis erraret, & consequenter prudentia illos non eliceret, adhuc tamen prudens esset, quia in iudiciis reflexis verum certè diceret, quia per ea ferretur in suam operationem, atque in objecta existimata, tanquam in res appetitui recto conformes. In hoc autem certè proponendo ratio prudentiæ consistit.

67. Præterea homo in illa suppositione tam benè se gereret in omnibus, ut melius se gerere non possit. Idem in omnibus omne peccatum & peccati umbram vitaret. Ergò haud dubiè benè faceret, & laudem singularem mereretur, qualem certè meretur, qui cum possit peccare & ad peccatum stimuletur, à peccato tamen abstinere, ne Deum offendat, facitque quantum scit & potest, ut illi placeat. Nonne ratio dicit, Deum, qui cor intuetur, in tali homine multum sibi complaciturum? Ergò talis homo non esset stolidus & pejor ferâ, quia qui peccatum liberè vitat, facitque quantum potest, ut Deo fideliter serviat, non est stolidus & pejor ferâ, sed est simpliciter prudens & valde laudabilis. Talis esset iste. Unde è contrariò sic arguo. Error invincibilis de omnibus bonis & malis secundum se acceptis, si daretur, omnia mala

Rectè consultare de bonis existimatis est difficile.

Abfurda Celladei suppositio.

Qui in omnibus invincibiliter erraret, benè faceret, si suam conscientiam sequeretur.

D

Specificantur ab objectis ut representatis, tamen ab objecto formali.

Discursus Celladei doctrinis certis & obvis contrariatur.

Æquivocatio Celladei.



mala redderet bona, & omnia bona similiter mala. Ergo error invincibilis de uno vel pluribus, qui de facto datur, mutat illa, & bona reddit mala, & mala bona. Ergo prudentia, quæ ad omne bonum opus præsupponitur, sæpè versatur circa bonum & malum merè existimatum, seu repræsentatum per cognitiones directas erroneas.

Idem probatur ex facia scriptura. 68. Confirmatur ex verbis Christi Matthæi 7. 19. *Omnis arbor que non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur*, id est, omnis homo, libero utens arbitrio, damnabitur, nisi bonum operatus fuerit. At certum est hominem, de quo objectio procedit, non esse damnandum, quia in nullo peccaret. Ergo homo ille bonum faceret. Ergo voluntas conformis rationi invincibiliter erranti est bona. Idem autem docetur ab August. *lib. de utilit. credendis cap. 12.* ut non semel vidimus in superioribus. Ergo Celladeus in omni apice suæ illationis fallitur, veritatisque ipsi, ac S. Augustino repugnat.

Voluntas conformis errori invincibili recta est, nec rectificatione indiget. 69. Ratio à priori est, quia tunc homo bonus est, quando habet intellectum & voluntatem benè dispositam in ordine ad finem ultimum. Hoc posito, quod negari nequit, sic arguo. Intellectus hominis in casu allato esset quidem malè dispositus in ordine ad verum ipsum directè repræsentatum, nec aliam rectitudinem logicam haberet circa objecta, quam reſtixam; per eam enim verissimè enunciaret de objectis existimatis. Sed voluntas illius optimè disposita esset in ordine ad omnem honestatem, cum omne bonum repræsentatum amaret, & omne malum repræsentatum odio haberet. Et sanè ita esset disposita voluntas, ut alii habitibus ac dispositionibus non indigeret, quia si intellectus rectificaretur, nullà alià rectificatione opus esset pro voluntate; illa enim statim magnà facilitate amplecteretur ea, quæ antea repudiabat, quia jam propone-

rentur ut bona, quæ antea credebantur esse mala. E contrario expeditissimè respiceret, quæ antea amabat, quia jam sciret illa esse mala, quæ prius bona esse credebat. Ergo voluntas illa optimis habitibus esset instructa, nec ex parte sui rectificatione indigeret. Sic voluntas amantis suam vitam ex parte sui est sufficienter benè disposita ad respiciendum cibum verè veneratum, quem ex errore avidè cupiebat tanquam sanitati proficuum. Detecto enim errore, absque difficultate, immò magna cum libertate & facilitate cibus ille respicitur, quia motivum, quod per se diligitur, illi amplius non applicatur. Ergo nulla rectitudo deest in tali voluntate, ut sanitati congrua eligat, sed totus defectus se tenet ex parte intellectus, qui si rectificetur, omnia benè se habent.

70. Jam cum bonum & malum morale in solis actibus voluntatis consistat, eò quòd illi soli sint liberi & voluntarii, utriusque esse actum illum esse bonum qui à voluntate benè disposita procedit. At, in casu objectionis, omnes actus voluntatis liberi talis hominis procedent à voluntate benè disposita, essentque proprii effectus talis dispositionis habituales. Ergo essent actus boni; quia effectus imitatur causam proximam, à qua procedit, & in qua directè ac proximè continetur. Præterea tales actus procederent à prudentia reſtixa. Ergo non possent non esse recti ac laudabiles. Certè nos non possemus non amare hominem taliter affectum erga nos, quamvis invincibiliter erraret circa res nobis gratas, faceretque ea, quæ aliqui documentis afferrent, modò omnem industriam ad nobis placendum adhibuisset. Cor enim sincerè amicum semper placet. Hoc multò magis locum habet in Deo, qui nil commodi aut incommodi à nostris operibus recipit, quique proinde non opus ipsum sed affectum & cor, quo opus fit, respicit.

## QUÆSTIO QUADRAGESIMA- SECUNDA.

*Virum possimus esse certiores quòd non peccemus, quàm quòd non ponamus opus reipsà vetitum per legem?*

1. **UNQUAM** credidissimè, Theologum universaliter asserere potuisse, homines in nullo unquam casu esse posse certiores, quòd formaliter ac imputabiliter non peccent, quàm quòd non ponant opus materialiter malum, seu aliqua Dei lege prohibitum, nisi vidissimè Celladeum *lib. 3. quest. 6.* omninifonari ad hoc Lectori persuadendum. Non, inquam, id unquam credidissimè, quia oppositum adeo perspicuum est, ut omnibus naturæ lumine videatur esse notorium, nec quemquam latere possit, qui vel mediocrem attentionem adhibuerit, ut mox ostendam, sit ergò.

### ASSERTIO UNICA.

*Sapè contingit, homines majori firmitate credere, quòd imputabiliter non peccent, quàm credant, quòd non peccent materialiter.*

2. **PROBATUR** manifestissimis exemplis. In primis conjux dubia de valore sui matrimonii, licitè rediere potest debitum conjugale, sed illud licitè exigere non potest, quia hoc expressè traditur in sacris canonibus *cap. inquisitioni de sentent. excom. & cap. Dominus de secundo nuptiis*, in quibus Pontifices id apertè declarant. Rursum omnes etiam Theologi id ipsum expressè tradunt; nec sum, qui putem Celladeum negaturam veritatem tam certam & contestatam. Hoc posito sic.